·25
a ~~275~~

L
a : 10

L.a.10


FLORIDORVM
Sertum tertium
PRÆCVRSORIA
PANEGYRICA
DECLAMATORIA
Ad Sapientiæ fores
pertexebant

FLORIDORVM
LIBER TERTIVS.
OPVSCVLA VARIA

Præcurſoria, Panegyrica, Rhetorica, Declamatoria complectens.

Auctore

LEONE SANCTIO
Societatis IESV.

ROMÆ,
Typis Hæredum Franciſci Corbelletti.
M. DC. XLV.

Superiorum Permiſſu.

Ex legato Josephi Carrani · J. V. D.

AMICO LECTORI.

SOCRATEM accepimus, cum factis iam pridem Gratiarum duarum ſtatuis, tertiæ abſoluiſſet ſimulacrum, dedicaſſe opus in penetralibus Mineruæ, ſeque poſtmodum, ſtudijs leuioribus relictis, Philoſophiæ vni conſe-

craſſe; At ego ſicuti Socrate felicior, quòd non Palladem, vanum Idolum inſcitiæ veneror, Sed verum ſapientiæ Numen in honoribus, & amoribus habeo, ita Statuarius Camænarum indoctior, poſt libros iamdudum editos FLORIDORVM duos, binas noſtri erga Sapientiam Amoris imagines, quas, ſi tibi acciderunt gratæ, Gratias puto, & nomino, tertium hoc opus dedico, neque dum tamen dignor me honore penetralium; ſed pro amicæ huius foribus additum ſertum appendo. Illud mihi Muſæ amæniores de Parnaſi floribus, & ſeueriores de Peripati hederis, tum vero, & Satyri de pla-

tani

tani Socraticæ frondibus collegerunt, pertexendum maximam partem in Parthenone magno Theologicæ veritatis.

Quod ſi ille tertio Gratiarum opere manibus abſoluto nobilitare curas, & cogitationes Philoſophia cæpit, eamque ſermonibus illuſtrare ſimul. Quid ſi ego etiam in gratiam cum Philoſophia, reuerſus, magnum hoc diuinæ ſapientiæ templum, quem vocamus Mundum, ingrediar facem aliquam præferens, explicaturus inquam duobus philoſophicis libris eius naturam, dotes, & cauſas. Nunc velut in aditu, ac veſtibulo poſitum tertium hoc FLORIDORVM ſertum

rum ne grauare tantiſper inſpicere. Varium eſt ex argumento ſcribendi, varium, & ab ætate ſcriptoris, nec par genere ſcriptionis, ac ſtylo; aſpera teneris iungimus, expolita rudibus; modo concinnitatis negligentes, modo amatores, & charitum, ſed quæ Veſtales Virgines ſimul ſint, & procul ab Helena, ne quem de noſtris Hippolitis vertat in Paridem. ſectamur interdum ludicra, ſed ſupra vulgi ludum, ſeria ſæpius, ſed extra myſterium tetricæ Eleuſis, & digna fortaſse Gratiarum choris; neque erubeſcimus graue Xenocratis ſupercilium erugare per amæna facetiarum cum Plauto; hoſtes enim

Eccle-

Eccleſiæ aceto, ac ſale perfundere hic maluimus alibi petituri ferro, ac flamma.

Sed ipſi petimur, ni fallor, in ius ad tribunal Grammaticæ; quòd noſtra oratio iure latij non ſatiſdonata honores togatæ gentis affectet in theatro Gloriæ. Imo vero ſortem fatemur hoſpitum, ſellam nobilem habituri quocumque ſubſellio. & ſi crimen in ſcribendo fateamur, pœna ſcriptionis ſit, à puris Grammaticis non legi; Philoſophiæ enim, ac Theologiæ, vel mediocriter gnari ſatis norunt, voces illas nequiuiſſe latinas eſſe; quarum ne cogitata quidem latina olim fuiſſe queunt; ſed & conciliandæ auctori-

ſtati verba Diuini Codicis interdum coniecimus in ſententiam; nunquid ergo in culpam trahetur ſeruiſſe maieſtati, ſed quid pœnæ abs te vereamur, apud quem ſine præmio eſſe non poſſumus? quòd enim in tanta librorum copia, tamquam in refertiſimo conuiuio, noſtri ſæculi ſcripturientis ad nauſeam libare quid è noſtris literulis ad guſtum leuem digneris; loco ducimus magnæ mercedis, maiorem etiam habituri gratiam, ſi quid gratum habeas ab hoc calamo, cuius leuiores aliquando excurſiones adoleſcentiæ olim ſcribenti condonatas, coercere ſenili fræno poteram; ſed cum eas viderem

rem nec iniucundas, nec inutiles ſimili ætate florentibus accidere; ſummo iure mecum agere nolui, gnarus nos à pueris non naſci ſenes, & memor Tullij de ſenectute loquentis. Curſus eſt certus ætatis, ſuaque cuique parti ætatis tempeſtiuitas eſt data.

INDEX
OPVSCVLORVM
Quæ
HOC VOLVMINE
CONTINENTVR.

ARmiluſtrium fugitiuorum, ſiuè de Sacramentis Hæreticorum noſtri temporis Menippæa ſaty-

ſatyra præcurſoria. Ad
quæſtionem Theologicam.
Vtrum Sacramēta ſint in
genere ſigni. pag. 1
Martini Lutheri Deſcri-
ptio. 5
De Sacramento Baptiſmi, ſi-
uè Prima Legio Balnea-
torum. 16
De Sacramento Confirma-
tionis, ſiuè Legio Secunda
Pellionum, & Ocreatorum
viantium. 22
De Sacramento Euchariſtiæ,
ſiuè Tertia Legio Mir-
millonùm, & Saperda-
rum. 28
De Sacramento Pœnitentiæ,
ſiuè

ſiuè Quarta Legio Tene-
brionum balbutiētium. 38
De Sacramento extremæ Vn-
ctionis, ſiue Quinta Legio
Plagoſorum languentium.
pag. 53
De Sacramento Ordinis, ſi-
uè Legio Sexta Antiſti-
tarum fœtentium. 69
De Sacramento Matrimo-
nij, ſiue vltima Legio Iu-
dæorũ, Turcarum, Mau-
rorum, Cafrorum, Lapi-
tharum, Mænadum, &
Mimallonidum. 95
Diuulganda, nè ſermonibus,
an occultanda ſilentio,
myſterijsque ſapientia ſit.
Pro-

Pro renouatione ſtudiorum, cum explicaretur ea quæſtio theologica: An verba neceſſario adhibenda ſint in Sacramentis. Oratio Prima in plures, veluti declamationes diſtributa. 99

Declamatio Prima Pueros non loquendi, ſed tacendi artem edocendos eſſe. pag. 103

Declamatio Secunda, Ad comparandam eloquentiam ſilentium eſſe Adoleſcentibus certiſſimã viam. pag. 119

Declamatio Tertia Philoſophiam

phiam non euulgandam, ſed myſterijs inuoluendam eſſe. 136

Declamatio Quarta, Theologicam doctrinã in apertum dandam non eſſe. pag. 147

Declamatio Quinta, Sapientiam in vniuerſum explicandam, non occultandam eſſe. 166

Declamatio Sexta, Pueritiam benè loquendi artibus informandam eſſe. Reſpondet Declamationi Primæ. pag. 179

Declamatio Septima, Adoleſcentiæ facultatem, copiam

piamque dicendi congruẽtem eſſe. Reſpondet Declamationi Secundæ. 188
Declamatio Octaua, Philoſophiam non obſcurè indicandam, ſed perſpicuè explicandam eſſe. Reſpondet Declamationi Tertiæ. pag. 195
Declamatio Nona, Theologiam nõ ænigmatis obſcurandam, ſed explanationibus illuſtrandam apud idoneos auctores eße; Rẽpõdet Declamationi quartæ. 302
Incarnationis myſterium, ſiuè Chriſtum Dominum
Para-

Paradiſum eſſe Voluptatis ex dicto veteri S. Thomæ Aquinatis, Præfatio ad tractatum Theologicũ De Incarnatione Verbi. pag. 215
Solarium Gregorianum, ſiuè de beneficijs, quibus Gregorius XIII. Solis inſtar Vniuerſum terrarum Orbem colluſtrauit, laudatio. 236
De Chriſti morte Oratio habita Die Paraſceues in Sacello Pontificio. 171
De Legislatore Cordiũ Amore Deo Oratio habita Die ſacro Pentecoſtes. 179
Ad

Peruſinos Ciues plurimum facere, parum de ſe loqui ac ſcribere conſueuiſſe. Oratio Prima. 286

Sapientes nè, an Fortes Peruſini Ciues plus ornamẽti contulerint in Patriam. Oratio Secunda. 515

Priſcorum nè Martyrũ fortitudo, an recentiorum doctrina ſapientium plus vtilitatis contulerint in Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem. Oratio habita vltima poſtridie eius die, quo Carolus Borromæus in Cœlum publica

*ſacrorum celebritate rece-
ptus eſt quarto Nonas
Nouembr. 1610.* 347

MVTIVS VITELLESCVS

SOCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

CVm Librum Tertium Floridorum P. Leonis Sanctij noſtræ Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos ſpectat, videbitur. In quorum fidem &c. Dat. Romæ 12. Octobris 1644.

Mutius Vitelleſcus.

Impri-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici,

Alphonſus Sacratus Epiſc. Comaclen. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Serronius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. Patr. Fr. Michaelis Mazarini Sac. Apoſt. Pal. Magiſtri Ord. Prædicat.

IR.

Errata	Corrige
ōmninm	omnium. pag. 2.
lardarins	lardarius. pag. 3.
crebrum	cerebrum, pag. 4
prægnationem	pręgnationem. pag. 18.
geuere	genere. pag. 17.
plaudis	paludis. pag. 21.
ncruos	neruos. pag. 31.
plepesq.	pedesq. pag. 42.
huins	huius. pag. 43.
quis ? neget	quis neget ? pag. 43.
tantuum	tantum. pag. 57.
linceum	linteum. pag. 58.
Diſruptoto	Diſrupto, pag. 6y.
neqniorem	nequiorem. pag. 74.
cate	capite. pag. 74.
larronicio	latrocinio. pag. 78.
præſcripſir	præſcripſit. pag. 79.
vittimas	victimas. pag. 82.
Totriles	Tortiles. pag. 82.
Appaparatus	Apparatus. pag. 84.
Alijq.	Alijsq. pag. 84.
Tralatitio	Traslatitio, pag. 83.
Laram	Raram. pag. 88.
Pudicitla	Pudicitia, pag. 88.
vitioram	vitioſam. pag. 89.
vltures	vultures. pag. 91.
vnicam	vnica. pag. 94.
libidinnm	libidinum. pag. 95.
Barratio	Narratio. pag. 96.
Inceſſus	Inceſtus, pag. 96.
omnis	omnes. pag. 96.

Dar

Dei ſapieutia parter	Dei ſapientia pariter. pag. 100.
boc	Hoc. pag. 108.
omues	omnes. pag. 100.
ſapientiæ	ſapientiæ. pag. 100.
arcaua	arcana. pag. 200.
Decerminus	decernimus. pag. 100.
Rhethoris	Rhetores. pag. 101.
Pneri	Pueri. pag. 105.
iacerit	iacent. pag. 104.
perſpicuorum	perſpicuarum. pag. 105.
velutò claui	veluti clauis. pag. 105.
per	par. pag. 107.
poſtulit	poſtulet. pag. 107.
paccatorum	peccatorum. pag. 107.
implex	ſimplex. pag. 107.
pædam	prædam. pag. 108.
impoſitam	impoſitum pag. 113.
éruptioribus	eruptionibus. dag. 115.
uaturæ	naturæ. pag. 117.
digna	dignæ. pag. 11æ.
aduiirabile	admirabile. pag. 108.
Larone	Latonæ. pag. 109.
doceudi	docendi. pag. 111.
ſilentium	ſilentio. pag. 119.
exigui	exiguis. pag. 120.
mutiſsima	minutiſsima. pag. 143.
deletto	delectio. pag. 187.

ARMILVSTRIVM FVGITIVORVM

Siue

De Sacramentis Hæreticorum noſtri Temporis

Menippæa Satyra præcurſoria.

Ad quæſtionem Theologicam

Vtrum Sacramenta ſint in genere ſigni.

ECCE iterum ad ſigna conuenimus, quibus caſtrorum illa acies ordinata, ſponſi cœleſtis imbuta Sacramento, in terris militat, togatos etiam ſequuta duces, nec niſi doctæ pacis olea per incruentas ingenij victorias laureatos. Sacra enim, quæ Sacramenta vocamus, militiæ Catholicæ teſ-

ſeras, & quaſi vexillorum emblemata, & impreſias, vt vulgo loquimur, Theologorum non tam manibus extollendas, quam explicandas ſermonibus eſſe, aliàs edocuimus. Quin & exercitum Chriſti omnem ſub huiuſmodi ſignis diuina quadam ratione diſpoſitum fauentibus vobis luſtrauimus: Conſentaneum igitur & diuinæ, & humanæ rationi videtur, vt quando legionum noſtrarum ſtatum, atque ordinem pernouimus, antequam veniatur ad manus, & pugnam; acies noſtrorum etiam hoſtium, & ſigna per ſummam iniuriam contra nos erecta palàm, ex inſidijs proſpeculemur: eò etiam diligentiùs, quòd perduelles nefarij ſimilitudine quadam ad diſtinguendum difficili ſigna ſua à noſtris diſtinxerunt, vt agant minus peritos in fraudem. Quos enim ſub vno Chriſtianorum nomine vnius etiam Patriæ cœleſtis futuros ciues ſortiti fueramus a Deo; experimur, prodigioſa Diaboli fælicitate, transfugas, rerum noſtrarum gnaros in primis, & importuniſſimos hoſtes; quorum aliqui etiam ex præſenti cum Sacramentis certamine, Sacramentariorum nomen adepti ſunt, quòd maximè omnium execrandi, ac deſecrandi rem omnem ſacram euerterint.

Accedit & ſacræ, & profanæ dignitatis omnis euerſor Lutherus, qui lingua, nobis, etiam non euocatus adeſt, & Theologiam Scholaſticam in Sacramentorum tractatione, vt merè ludicram, & planè illuſoriam, ſe-

ſeptieſque ſacrilegam bucculentus increpitat, noſque D. Thomæ Aquinatis Magiſterio eruditos, rudentes Magiſtrollos, Thomaſtros, Romaniſſimè thomizantes, & cum Scotelliſtis, & Occamullis papiſticantes vocat, & tabellarios magni Diaboli. Sanè diabolica iſthæc verba Verberonis huius dæmoniaci, cui tam moderato Socrati, tamque muto Harpocrati, ne dicam, tam patienti Iob, non excitarent ab imis vnguiculis ſatyricum pruritum iuſtè remordendi tam inuerecundum Canem? Enimuero, & Theologiæ noſtræ Gymnaſium non minoris honoris ergo ſalutans, ſynagogam Satanæ, Vallem Tophet, lacum Gehennæ, & magnum Stabulum Antichriſti appellat, magnus hic in Theologia quadrupes, Apuleij Metamorphiſta, propheta de filijs Aſinæ Balaam, Doctor lardarins ex Epicuri recocti rancido Carnario, laureatus in ſterquilinio recalfacto Sardanapali. Sed fætidi, ſordenteſque nimium ſcurræ nos erimus ſi Sannionis huius ludificationibus ſimiles illuſiones, ſi paria maledictis conuicia, ſi frontem impudentiæ ſuæ parem afferre velimus: infra ſoccum, & mimos, non Satyram, aut Diras, ſed Baccanalia, & Lupercalia inſtituere deberemus. Nam ſi pudorem omnem exhauſit ſermone, ac vita inquinatiſſimus Lutherus iſte lutarius: referamus nos pedem à luto: luctari enim cum cœno tam lubrico, & impuro ſine deformatione, ac prolapſione aliqua non licet. Si cornu petit,

ac roſtro bellua biformata, negotiandum non erit è proximo: è ſublimi ſpecula proſpiciamus oportet eius inceſſum, ſtatum, & contaminatas cohortes ſub ſignis non militiæ, ſed malitiæ, hoc eſt profanis planè Sacramentis, non in ſolem, ac puluerem, ſed in noctem, ac furfurem euocatas ab ipſo. Atque, vt olim è regali Priami Turri, proceres Troiani, hoſtiles acies, ac turmas in ſubiectis campis ſub vexilla diſpoſitas proſpectabant, vna Sorore Caſtoris formoſiſſima ſui æui noſcente, obſeruante, atque edocente omnia omnes. Ita nobis dum Theologia, hoc eſt, Helena illa, pro cuius pulchritudine ſupra decennium etiam laboramus, ex turri Dauidica, ex Catholico, inquam, Vaticanæ doctrinæ vertice, diſtinguet, & commonſtrabit ſingula, contemplabimur ducem fædifragum cum omni ſuo nugali armiluſtrio nebulonum. Et quoniam artem noſtram in pertractandis Sacramentis vt ludicram, atque illuſoriam ludius iſte Luther luteus irridebat, ipſum cum ludionibus ſuis omnia ſacra ludificantibus ſatyrica licentia illudamus.

Mar-

Martini Lutheri Deſcriptio.

ATque ipſe ludi huius omni luctu funeſtioris præſultor, & inſtitutor ſacrilegus, in modum horrendi prodigij iam prodit foras.

Videtis, vt ex puteo Abyſſi magnæ, quem vitiorum omnium impetu, poſtrema ſæcula reſerarunt, ex immunda, inquam, fætidaque illuuie Dæmogorgonis Beemoth Balena immanis, ac tempeſtuoſa exurgit cum procella tam ſubita, & ingenti, vt nauicula Petri operiatur fluctibus! Sed balena, & Orca vnius Elementi perturbatrices ſunt: noſtra hæc bellua amphibia eſt, non minus terræ nocet, quam mari, quin & Cælo potiſſimum infenſa eſt, eo nomine ſolum Orca, quod Orco victima debeatur. Polyphemum crederem eſſe potius; tam infecta materie corporis, tam effuſo furore baccatur: ſed Polyphemus ex dolore vnius adempti oculi furibundus errabat in pelago, hic multiplici rationis lumine exoculatus, omnium perturbationum æſtu, omnium furiarum violentia fanaticus etiam in Cælum agitur, & in præceps Erebo datur. Enceladum igitur aliquem, ſiuè Briareum appellemus, at

ille Gygas centimanus fuit : hic longè magis manuarius eſt: neque enim tot, ac tantas Eccleſiæ Dei opes, ac bona potuiſſet rapere, ſi manus tantummodo centum habuiſſet. Sed quod in maius rapit admirationem noſtram; tam vaſtum, & abnorme animal ex putri materia natum eſt; ex Clericatu, inquam, & Cælibatu ſacro planè corrupto, ac tabido, quaſi multiplici Bacchi, Lauernæ, ac Veneris diſrupto publicè apoſtemate.

Quod ſi ex vaporante in nubem ſanie, ac tabo Centauri geniti dicuntur in fabulis, inter fictos Hyppocentauros numerarem hanc veram beſtiam, præſertim ex eo, quod Hippomanes, hoc eſt, caballino erotico furore percitus æſtuabat. Sed centauros bicorpores fuiſſe audiuimus; hunc tricipitem, ſiuè triformi etiam ſpectaculo frontis monſtruoſum ludicrè, cernimus. Thiaram enim geſtat chartaceam iocularem ex Chriſtianorum Mythra, ex Hebræorum cydari, ex Turcarum turbinatis anfractibus conglobatam: Operculum dignum ea fuliginoſa patella, quæ tam confuſaneè frixit Iudaicum Talmuttum cum Alcorano Turcico, & Euangelio Chriſtiano. Nimirum hic præclarus Ardelio inſtaurare ritus hebraicos conatus eſt ſubijciens Eccleſiam Synagogæ, & Chriſtum Moyſi. Hic et Turcas beatos nō ſemel prædicauit, quod Alcorano ſuo contenti vitam viuerent adipalem; hic & quatuor Euangeliſtarum dogmata, & leges ad praxim Epicuream, ac Cynicam reuocauit, quintus

aduerſus omnia Euangelia Euangeliſta.

M›x vt nou:s hic legislator ſtabularius, legum ſuarum originem referret in aliquem Deum, Nympham, aut Muſam, ſicut Numa Pompilius ad Aegeriam, Samolcis ad Veſtam retulerunt: non defuit ei Sybilla, Cumanam volebam dicere, ſed fumana fuit, ita ſordenti libidinis foculo fumigauit omnem Eccleſiæ famam, ac decus. Adfuit, inquam, illi conſultrix à tripode, ſiuè potius à tripatino, & bicubitu Penthesilea quædam etiam ipſa ſacrilegè furens Catherina de Borè. Hanc enim Orithijam rapuit ſibi Boreas hic turbidus tranſalpinus totum Septentrionem infeſtans.

Ex huius nouæ illico Pythoniſſæ conſulto nuptiali, iura poligamiæ veteris amplificauit lutherus in thalamis; in menſis verò legem omnem Aquiliam abrogauit, vinum nōniſi merum admittens, hac vna in re purus, & integritatis amaſius. Profectò cum omnium hæreticorum prauitatem vnus Lutherus in ſeſe collegerit, tamquam exemplar, & caput ſectariorum omnium; Aquariorum tamen ſectam adeo auerſatus eſt, vt aquam etiam è ſacrificio Miſſæ reiecerit, affirmans vinum, ſi permiſceatur aqua, habere peſſimam in ſcriptura ſignificationem. Quamuis enim proiectò admodum aqualiculo hydropiſim præſeferat ventrioſus hic pappoſaunus, aquam tamen vt flammis, & furoribus ſuis inimicam, inimicitia proſecutus eſt capitali.

Sed caput ipſum eterocliti Capitonis huius è Saxonia oriundum merito fuit, quòd durum patriæ nomen, non candidos mores ſequutum, omni ſaxo prædurius, vtramque legis diuinæ tabulam, & Chriſtianę diſciplinæ virgas omnes, & flagella intentata confregit. Tanto autem in Capitolio nulla ædes Mineruæ dicata, nullus, inquam, ſapientiæ locus erat: ipſam enim rectam rationem, quam ipſe pellicem, ac meretriculam Diaboli nominabat, gloriabatur ſe deturbaſſe loco & ſic mentem ſuam purgaſſe per Chriſti fidem. O cerebrum purgandum elleboro! ſed totæ Anticyræ tantæ inſaniæ non ſuffeciſſent. Quid mirum iam eſt, ſi ratione, hoc eſt, omni humanæ intelligentiæ ſale deſtitutum cerebrum illud fatuum tam fœde computruit, & mortali fætore tot, ac tantis prouincijs inſpirauit? At ſpiritum illum temeritate paſſim furente pleniſſimum fronte ſaltem aliquando ſubmiſſa, & ſupercilio ad modeſtiam ficto, ſi non facto conuelaſſet perditus veterator. Scilicet. *Rupes non aliter; ſic ſtat Marpeſia Cautes*; tam obfirmatum arrogantiæ Callum *Frons illa obduxit lybica ſoror altera ſyrtis*. Nullum frontonem tam effracti pudoris fuiſſe vnquam legimus, & qui vna in fronte ita planè, ac dilucidè impudentiam animi vniuerſam exponeret. Inſpicite enim; ſiuè potiùs inſpuite frontem illam dignam oſculo, ſed magni ſcipionis alicuius, & obſequijs, ſed tantummodo lignarijs, venerandam.

Stella

Stella Orionis interminante procellam ſupercilia Cilonis huius venerunt, opinor, in lucem; ita quòcumque turbulentus nubigoga cilium verterit, turbari aërem videas, maria concuti, tumultuari motibus vrbanis, & ruſticis, exteris & inteſtinis familias, Vrbes, Regna, prouincias, Nationes.

De Naribus mucoſi huius Naſidieni controuerſia nonnulla fuit: quidam enim illum ſimum Naſicam fuiſſe contendunt de ſtirpe Caprina, vt Nares cum hircino barbitio cõgruerent; alij repandum Naſerdam, ac perforatum crediderunt ex genere bubalorum, quod velut iniecto circulo nullum aliud ex humano genere animal, tam facilè Diabolus circumduxerit quamcumque vellet in partem. Verum qui de his ambigunt, conſulant Ouidium; nobis tanti non eſt ex propinquo vlterius veſtigare mungoſa ſpiramina, ne, dum in nares humanas inquirimus, dentes caninos reperiamus, vt enim fama tulit, iſte Cerberus ambidens, accedentes ad ſe propius denaſare ſolebat: nolebat, inquam, ſuos brutos homines habere naſum, quo iudicare, ac diſcernere melopepones à cæpis & cucurbitis poſſent, nolebat, inquã, diſtinguere poſſe virtutem à ſcelere, nolebat cauere ſibi à fermento malitiæ, & graueolentiam olfacere vitiorum eius. Verum ſi olfacere nõ libet propius nares illas emungendas forcipe Brontis, ac Steropis; placeat inſpicere ſaltem oculos, ſi tamen poterimus; tam maligna ſtrictura ſulphuratæ picis ar-

dentis tremulas accendit ſub fronte lampadas Cyclopeius hic Vulcani carbonarius, lampadas, inquam, ſolitas excalfactare nequitiam, excitando nouos igniculos ex prunis leuiathan, lampadas ponendas in lucerna primaria polymixo Hecatis auernalis. quãuis neſcio quis oculatus teſtis, qui oculorum eius quoquò mobilem flammam, impetumque notauerat, atteſtabatur fuiſſe illos glandes ignitas, ſiuè orbiculos pulueris tormentarij accenſos, ac diſploſos in orbem terrarum à ſclopetario Belzebù.

Iam verò ceruix illa taurina, indocilis, omnibuſque bonis repugnax, & cornea, quia Chriſti iugum tam petulanter excuſſit, nec Pontificijs vllis canonibus paſſa eſt acclinari ſe; nonne inclinanda fuerat Cæſarea illa lege. *exportandus.* ſub titulum *de Cloacis*, aut per alteram legem. *Non eſt ferendus de Capite diminutis*.

Sed antequam caput hoc præferratum adamantino Nemeſis vltricis gladio minuamus, quid de ore illo buccis pendulis fluẽte, & obſcæna oſcedine hiulcato, de ore, inquam, Orionis geneſim exorbere digniſſimo quid dicetur? Dicatur fuiſſe porta pandana; per hanc enim quauis hora noctis, ac diei, patebat aditus liber annonæ importandæ: dicatur fuiſſe præfurnium in foro gentis Porciliæ nunquam expurgatum, dicatur fuiſſe promptuarium quoddam ſalis nigri, & aceti ſquillici plenum, oppletum aſperugine, & lappagine, refertum ſub gutture

cica-

cicadis, & gryllis, & ranis ſemper obſtreperis, ſemper grillantibus, ſemper coaxantibus, ibi enim conuiciorum cornucopia in Deum ipſum effunditur, ibi Momi, & Ariſtarchi, Sinonis & Archilochi ollæ fumantes ebulliunt probris, iurgijs, contumelijs, impoſturis & mendacijs omni genere impietatis effertiſſimis. Vno ſiquidem ore frigidum ſpirat, & calidum: modo ait, modo negat: ſi quid ſtans laudauerit, vituperabit ſedens: aliud expuit à prandio, aliud poſt cænam eructat. Fuiſſe illi credideris linguam, & guttur de genere Perdicum, aut Coturnicum, quæ mutare Cantilenam, & ſonum, aliamque vocem Thebis, aliam Athenis ediſſe dicuntur, ſic alibi tittibizat, alibi caccabat noſter peſſimus Oſcen. Nimirum in vna quadam ſcriptorum eius farragine repugnantias dictorum octingentas, & eo amplius obſeruauerunt exploratores mediocriter curioſi. Adeo buccis inquinato ſermone prægnantibus ſuperſætabat ſemper mendaciſſimis impudentijs.

Sed omnem turgidam prægnationem ſuperuadit popa Venter homonis huius; breuitatem enim, ne in ſyllabis quidem admittit, quidquid artis Grammaticæ, aut Metricæ neoterica iura diſſentiant: neque enim venter iſte grammata nouit, neque metrum vllum, aut menſuram ſeruat, tam incondita, ac turpi vaſtitate à reliquo corpore prominens, ac ſecedens, vt lutherus apud lutherum habitare videretur.

Venter hic, inquam, intectus pilorum operimento nigro; atratus, credo, funere tot pullorum ex hædino, gallinaceo, ſuillo, vitulino genere omni conſumpto, tumefiebat etiam iracundia; veteres, & apertas inimicitias proſequutus cum Sancto Hieronymo, quòd hic heremicola, vt ipſe dicebat, nimis arctè, ac frequenter diſputauerit de ieiunio, & continentia. Ieiunium ſiquidem inane quiddam eſt; hic autem ſaccus continenter plenus & non aranearum, non permittebat dari vacuum in Natura.

Carinam igitur eum eſſe dixeris ſaburratam expenſis Vitelli, Porculeni & Opimij, ſed carina eſſe non poteſt, quia ſine fundo eſt: quidquid enim in illum ingeſſeris, tamquam per dolium pertuſum effluxiſſe continuo crededas. Carinam tamen Charontis merito appellabis, cum innumerabiles animæ leues, pallidulæ, nigræ nonniſi per hunc lintrem ad orci ripam interiorem æterno cum luctu tranſmiſerint.

Riſus tamen, & iocus largiloquè obſtrepens in dentes, ac nares transbullit ex fundo hypocondrico popinonis huius, quem in ſepulcro ſeptem Epulonũ collocare potuiſſes pro ſtatua Bacchi, niſi Baccho infenſiſſimus, eiuſq. ſanguinis cupiẽtiſſimus fuiſſet: nullũ enim tã immane vini meri poculũ, aut carcheſium, nulla cupa, diota, cantharus, aut amphora tam decumano ventre, ac pede curto illi obuiam facta eſt, quam vno impetu non cœperit, vno hauſtu exhauſtam non deuolerit

luerit in hanc vorantem omnia võraginem, cuius voraginis expletione dum reædificare nitebatur veterem Babelem, nouam etiam Bibelem extruebat.

Sed adhuc domeſticas laudes accepiſtis huius vtriculi, Vteri nunc virtutes etiam publicas audietis: ex hoc enim vtero fæcundiore ſcrofis furfure cum vrtica ſaginatis, tã numeroſa lutherinæ fæturæ pullities prognata eſt, ac tam diuerſi generis, carniuora, pulueratrix, dentata, ruminans, vnguicurua, rapax, cornigera, inceſſens, tum ſurdaſtra, clauda, cæcultiens, & per omnes modos mutilata, vt non tanquam ex equo Troiano prodierint certa capita bellantium aduerſus Eccleſiam, ſed balantium, grunnientium, & omnifariam male ſonantium animantum greges innumerabiles, quà data porta, quà non data etiam, in apertum diſpalati proruerint, facturi pauperiem in horto illo Diuini ſponſi concluſo, vineiſque florentibus pulcherrimæ Sunamitis. Cum enim ab Eccleſiæ infantia ad lutheri adultam ætatem vſque per quindecim integra ſæcula, tota Europa, Aſia & Africa nonniſi octoginta, & centum ſcholas hæreticorum numerauerint calculatores eruditioris notæ: iam ex lutherario vnico puerperio, vix vnius ſæculi decurſu, & in vno Europæ miſeræ ſinu, hæreticæ ſectæ ſeptuaginta ſupra ducentas eruperunt authoribus certis, ac claſſicis, ne particulatim referamus Vrbes, & familias inteſtinis religionum diſcordantium dogmatis quotidiè

ſcu-

fruticantes ; tantam colluuiem animalium ſine ratione ratiocinantium eiectauit hæc eita niniſſaluus, nec minus tortuoſa Draconis, cloacalis planè Acheruſia inferorum.

Cloacá verò iſtam portatilem ventris luheiacei ſuſtinent columnæ duæ, Sanſonis amplexu vltimo dignæ, Crura, inquam, & pedes, quibus etiam calces iacit in Lunam, & Solem, refractarius, & legum omnium ſuccuſſator archicaballus iſte Plutonis, ijs autem pedibus non calcat commune ſolum, ſed grallis vægrantibus inſiſtit, quibus non modo ſupra omnia priuatorum tecta fertur laruale terriculamentum puſionum, ſed collibus, ac Montibus, hoc eſt, Regibus, Cæſaribuſque arroganter ſuperlatus, intoleranda audacia caput inter nubila condit, ſiuè potius, per vacua Epicuri intermundia quaſſat. Ibi tonans fragore ſterili bomborum inaniũ, ibi delirans fulminaſter aranearum, & cimicum, Augur de Spurinæ genere, Propheta ſomniorum figulus, nihil pythiorum Vatum habens, niſi furorem, ac rabiem, pulmone gutturoſius ampullante, ad raucedinem vſq. vaticinans, paratragædiat ; crepat, inquam, interitum noſtræ Theologiæ ſcholaſticæ, cantat litteratorum, ac litterarum omnium excidium, denunciat Vaticani Verticis caſum, & præcipitem ruinam Papatus : dum effuſiſſimis cachinnis latè perſonat circumfuſa plebecula Cacodæmonum, quos, vt quiſquilias Erebi, vocatos ab ipſo medioxumos, & patellarios, cum frixorijs, lucernarijs, girogeru-

uerulis Diabolullis, & Sataniſchis, Lemurillis, & Mormolichijs ſaltitantes, è coquina ſordidiore Proſerpinæ conuocauerat, ad Theologiam noſtram, & Romanam Eccleſiam irridendam.

Sed quamuis irriſor iſte nunquam ſatis irrideri poſſit, vocat tamen nos etiam ad luſum non diſſimilem ipſe iam Exercitus Imperatoris huius, qui tanti gregis Caper, & Caprarius, excurrit longo interuallo remotus à reliquis, imò & paſſim derelictus à ſuis, dum prima legio noſtrorum hoſtium ſub ſignis ad prompam in hoc armiluſtrio explicatur.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

Siue

Prima legio Balneatorum.

ECCE enim ludicra planè, ac ridicula capita cōgerronum ebriolorum, è tabernis fullonicis, popinis, & pharmacopolijs, & thermis, thèrmulis, & thermopolijs erumpunt: primum enim hoc agmen conflatum eſt ex balneatoribus, aquarijs, aquariolis, thermularijs, cum ampullarijs, & ſcaphigerulis, alijſque onerarijs filijs Aethiopum, Gentis Turpiliæ ſeruulis, & vernaculis, ferentibus cōnchas, & ollas, amphoras, & Can-

Cantharos omni liquorum genere oppletos, & graues. Nullus tamen eſt illis vagè palantibus certus Præfectus: per extemporales tumultus in diuerſa trahit vnumquemq. ſuus impetus, ſiuè ſpiritus, vt ipſi dicunt, internus, vt dicere debuiſſent, infernus: ſpiritus, quem ſternutãte in Cælum Plutone, & baubante Cerbero proflauit Orcus in terras: tanta enim mordendi, ac rodendi nos rabies, tamque inexplebilis, latrandi, vlulandi, Catuliendi ſecum furor inuaſit has furias, vt non ſine peculiari auxilio gratiæ diabolicæ obuenerit tam ſupernaturalis virtus allatrandi ſcientiam, probitatem, dignitatem, ac poteſtatem omnem Eccleſiæ.

Horum autem inſcitiæ, improbitati, indignitati, atque impotentiæ ſuppetias ferunt alij gregales geruli auxiliares. Gerunt enim nonnulli ex cella olearia trullas amurca fætenti plenas: An quia ex oliueto Philiſtijn, hoc eſt, in Hæreticorum fundo nonniſi fæces, ac ſordes pinguis inſcitiæ colliguntur pro nitidiſſimo oleo ſapientiæ? At alij vino etiam fæculento lagenas exonerant: nempè nonniſi ad fundum calicis Domini, de quo bibunt omnes mali, bibere peſſimi conſueuerunt.

Sed caueamus interea nos: acetabula enim nonnulli ferunt, & phialas omphacio diſtillãtes, Caueamus, inquam, ne aceto perfudant nos mordaces, ac petulantes hi ludij, Satius fuerit relictis dicacibus mimis caprarios, & bubulcos ſimpliciores excipe-

re:

re: pedem enim infert in chorum Choridon ille caprimulgus demens

Quem nunc longè etiam maior demētia cœpit.
Tytirus hunc ſequitur tranſuerſa tuentibus hircis,
Et furtum exportat mulium latrante lyciſca.

Ferunt cymbia lactis recentis ſine coagulo redundant, inquam, lactė ouillo cum vaccino, caprino, bubulo: placetne ſaporem peregrinum experiri aliqua prægustatione? Sed ſapiens vellicat nobis aurem aureo illo dicto. Si te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis: abeamus igitur longius à mammoſis hiſce nutriculis flagitiorum: lactent catulos ſuos lamiæ venefficæ, quæ nimis inuerecundė nudauerunt mammam. Sed popinas integras denudauerunt omnino ganeones hi, qui paulatim occupant Campum: alij ſiquidem ſpumantes pecudum ſangnine diſcos ex carnario afferunt, feriæ ſextæ capitales hoſtes, & Carniuori etiam cum Sabbatarijs: pateras, & catinos alij cum iuribus, iuſculis, & tucetis flauis, nigris, ruſſeis exponunt, nigrantes enim ſunt pincernæ Proſerpinæ: alij patellas adducunt calentes adhuc ex fricto, quos ego frictos hic vobis darem dictis ardentibus, ſed per modeſtiam, ac tempus non licèt: ſuccedunt enim alij ſine modeſtia cum mortarijs moreto plenis, omnique intinctu herbaceo, alliato & vniuerſo liquamine coquinario; tam incocta, la-

laborant crapula, tam inſanam ebiberunt errorum ſaniem hi Helluones, & Gurgites.

Sed vſque adeo fætorem ſuſtinere potuimus horum ganeonum inquinatè ructantium in os pulcherrimum Veritatis: poſt hæc verò occludendæ nobis nares erunt. E carinis enim, ſi Deo placet, fætidè ſaburratis irrorationes extrahunt, è lauatrinis cænoſis deferunt balnea veterum Celtiberorum, ſordentes illas amphoras, quibus tributum non minus ſordidum impoſuiſſe dicitur Veſpaſianus. Haſce nos odorationes, quia ferre inſuefacti non poſſumus, hoſtibus noſtris aſſuetis hoc ſuffitu ſacrorum, iſthæc thuribula relinquamus, vt quando naſum rinocerotis habent, grauioribus aromatis ſuffiendum, expleant olfactum dignis olfactorijs.

Sed explere deſiderium veſtrum, niſi fallor, non poſſum, niſi dilucidè vobis ediſſeram, quò tendat apparatus hìc ſucculentus aduerſariorum. Quid enim ſibi velint tã varijs fæditatibus, fętoribus, flocibus, fęcibuſque maculoſi, ac luridi? Dicam breuiter. Volunt lauare maculas animorum; dicam apertius, Volunt baptizare Chriſtianos.

Ita quippè ſub primo Baptiſmi ſigno illuſores noſtrorum Sacramentorum militant, vexillarij ſui nutum, & inſtitutionem ſequuti. Interrogatus enim aliquando luther hic eluuriator Euangelij in Thalmuttum,

&

& Alcoranum, conſultus aliquando Magnus iſte iuris pluſquam vtriuſque in ſcutellis doctor, qui ſæpe iurauit omnes Iuriſtas, & Canoniſtas, & Caſiſtas meros eſſe nequiſtas, & ignoriſtas, Aſiniſtas, & Diaboliſtas, Conſultus hic, inquam, Parochus tinearum, & Culicum, Archipresbyter Bubonum, ac Strygum, quęnam eſſet materia Baptiſmi. Definiuit rem ex Cathedra peſtilent ę inter ganearum ſacra ſolemnia, Tripent'fex ambubaiarum, purificatus in Cloaca maxima, Turpilianum, inquam, reſponſum reddidit, Porcio, & Apronio promulgatoribus. Baptiſmus, inquit, balneum quoddam eſt: quicquid ergo in balnei vſum aliquando adhiberi poteſt, ſiue aqua, & vinum, ſiuè lac, & Ceruiſia fuerit, ſiue, vt neceſſaria conſequutione deducitur, eliquamen quodcumque, quo medicus, aut Chirurgus verum balneum conficere poſſit, aut ſeſe quiuis ad libitum inhumigare valeat: illam materiam baptiſmo idoneam creditote. Credimus profectò Doctori bouillio Ruminali thermulario, materiem hanc eſſe idoneam baptiſmo, ſed quo pedes Camelorum, & Roſtra ſuum, non hominum capita baptizentur. An non balneo erit opus, hoc balneorum genere dilutis? Si lutare lauare eſſet, nihil hoc lauacro lautius eſſe dixeris; ſed quid cauſæ eſſe dicemus, cur erga balnea tantus amor gliſceret in luthero hoc etiam poſt balnea lutulento? An

quia

quia more maiorum à balneo breuiſſimus eſt aditus ad cænam? in cæna autem fortunas Græciæ ſuæ ponebat omnes. Imo potius quia omnium horarum helluo, quotidiè ebrius, & regurgitans titubabat, indigebat balneo, quod conferre non parum ad coquendam, vel euomendam crapulam lurcones experientes docent. Sed ex alto magis aperiri mihi video cauſam amoris huius erga lauationem in hac bellua ſemper illota: ſiquidem vnde naſcimur, eò ferimur origini inſiſtentes noſtræ. Mater eius publici balnei vilis ancilla fuit, & in balneo ipſo fœta dicitur de malo quopiam Dæmone, Marte, nimirum, niſi me fallit opinio; tantus enim hic Martinus, nonniſi adulterante Marte procreari potuerat: Nam remotis iocis, & luſibus, quis vmquam homo fuit ita Martiueneteus, quantum quidem fuit hactenus hominum Chriſti inimicorum, ex quo turbæ tam graues per iracundiam, turpitudines tam liberæ, ac diffluentes per cupiditatem in Eccleſiam emerſerint? Sed emergamus nos tandem è ſordentibus hiſce balneis, de quibus, ſi cum Diogene ipurcum lauacrum ingreſſo me interroges, Qui hic lauant, vbi lauabuntur? Reſpondebo facile. Lauabuntur in vortice ſtygiæ paludis, & ex more veterum à balneo ſtatim cœnantium, atrati bucceis feruidis cænabunt cum Proſerpina, & Plutone.

DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS
Siue
Legio ſecunda Pellionum, & Ocreatorum viantium.

SED relinquamus, quæſo vos, baptiſmo Phlegetontis abluendos hoſce contubernales Orci, & reprehendamus potius à fuga fugitiuos alios ſcordalos & ſcrofipaſcos, cum calonibus, ac ſemilixis, neſcio quò grandiorem facientes gradum, Adeſt enim ſecun-

dum Aduerſariorum agmen ſub ſigno planè lacero, ac diſiecto. Horum primi ampliſſimis ocreis vaccina pelle confectis, rugoſis, ac ſordidis, pedeſtribus itineribus, caſtra mouent in puluere. Nouam, credo, aliquam ex pietate peregrinationem ſuſceperunt, at quò? per viam enim aſinariam, portam ſceleratam verſus iter carpunt: numquid, vt ad Cellam Romanæ Concordiæ, quam veteres peregrinantes petebant, peruenìant? imò verò ad communis diſcordiæ ſtabulum nimiò citius properant. Sed alij non minus diſcordes, & impudentes prodeunt è gurguſtijs. Sutores, alutas, Coriarios, Veteramentarios & pelliones eſſe quis neget? Quippè ſua ſe in pellicula continere neſcientes, pelles duras, & luridas, rugantes & hirtas, lupinas, bubulas, vrſinas, ouillas, aliaſque alij multifariam induti ſunt: præ ſe ferunt, vt videtis, feritatem barbaram antiquorum Scytharum, qui nonniſi ferarum pellibus nuditati conſulere conſueuerunt. Sed non erat cur ſe pellibus alienis incingerét hi Syluani, & Aegipanes; pilo fruticante hirſuti ſatis per ſeipſi ſunt, hæreditario ſui Parentis Eſaü corio ferino, & ſeugero circumtecti. Sed detrahemus nos profectò pellem iſtam vaferrimis hiſce lauernionibus, ſtatim, vt canes reliquos huius peſſimi gregis irretiuerimus. Adſunt enim ex inopinato, muliones etiam, & lecticarij agentes præ ſe calcos quadrupedes clitellarios, & quadrigarios cum burdonibus calcipotentibus. An quia ductores

animalium planè ſterilium cum ſint, oſtendunt ſe etiam bonorum omnium infæcundos eſſe! Hæreticorum enim opera, oua ſubuentanea ſunt: præter ventum, & fumum inanis gloriolæ, nihil ſolidæ virtutis excludunt, vel ipſis male confitentibus, omnes humanas actiones nonniſi errores, ac vitia eſſe poſſe.

Vitiati verò, & malède Noſocomijs excluſi videtur ij, qui proximo interuallo ſuccedūt, ita laſſitudo, & macritudo perbibit miſerorum medullas. Quis crederet? præſto ſunt è languidorum genere ſchidiaci, lentiginoſi, paralytici, torminoſi, dolentes à ventribus in duritiem lapideam iam concretis. Quid ergo poſtulant execrantes, quid queribundis vocibus clamant? inclamant, opinor, è Mulomedicis Machaonem aliquem, aut Podalirium. Sed medicamenta omnia morboſis iſtis incaſſum adhibentur; vna ſupereſſet medicina; vt ſeſe referrent in patrium, ac natale ſolum, hoc eſt, in ſinum Eccleſiæ, quam quia proditores abominantur, & horrent, in perditis, ac deſperatis habentur, niſi vel ſuomet ipſorum iudicio, niſi ſpectaculo præſente decipimur. Quid enim circa huiumodi ægrotos aduolitare cernimus tot è libitina ſādapilarios, quid aliptas fūerarios cum vniuerſo Collegio Veſpillonum? oleū, & vnguenta ferunt: ad vngendanè cacauera ex pietate veterum Romanorum? fallimur. Operam enim impiam, & ſacrilegam collocant, hiſce non animo minus

mor-

mortuis, quam corpore ſemiuiuis. Vides, vt ocreas illas peregrinorum defatigatorum à via oleo tergere, erugare, atque emollire contendunt? vt vnguine diducunt, ac mitigant duriſſima coria pellionum? quin & opobalſama expediunt, vt Iſchiadum doloribus occurrant, vt lentiginem eradant, vt contra paralyſim neruos obfirment, vt in ventres obdureſcentes teneritatem inducant, ad extremum vt iumentorum ægrotationes leuent, & macerent inteſtina. At quonam authore tantus hic molliendæ pellis apparatus è ſacris penetralibus acceptus vertitur? authore verſipelle ſeſqui vlyſſe peruerſiſſimi ingenij, oriſque duriſſimi. An non videtis huius agminis anteſignanum præferocem & callidum? an non agnoſcitis Capitonem bifrontem? Hoc illud animal eſt, Romane Caueto, Principum, Regumque Cornupeta, corruptela Antiſtitum, Silonem dico recaluum, Caluinum illum ita caluatum in tonſtrina fraudis, & nequitiæ, vt ne pilum quidem vnum viri boni reſiduum habeat. Exclamat ille voce ſtétorea, non dubitare ſe oleo Chriſmatis Catholicorum, mundare ſordidas ocreas peregrinantium, emollire aſpera coria calceariorum, & ventres oppilatos illinire. Sed venter oleo, inquit, & oleum ventri, vtrumque autem deſtruit Deus. O ventrem paſcendum ſiliqua dodonæa, perungendum oleo querculano iterata fuſtiga-

tione Turcarum: occludite tandem amurca veterrima illud os, veteratoris præfigendum capiſtris vulcanijs, & ſaturandum pabulo ſcarabæorum.

At ille iactat non indigere ſe chriſmate hoc tanquam ceromate ad robur: ita ſe viribus Achillem venditat in ſuſcepta ſemel veritatis cauſa defendenda; quaſi non ſæpius extimefactus. & attonitus ad auræ ſtrepitum bubo, & Coturnicula conſtiterit, & Religionis palinodiam euomendo cantauerit palpitante nequitia: longè autem minus indigere ſe gloriatur hoc oleo ad nitorem; ita ſe nobis facit Hyppolitum ex integritate ferocem: Quaſi vero non pernouerimus, ex edicto Carboniano donatum illum in humero fuiſſe nota caracteriſtica Vulcani vicaria, quod Heliogabalo deterior præpoſtero ritu cythereæ ſacra celebrauerit.

Sed quo caractere tandem inuri, quibus verborum officijs celebrari deberet Salapuſius hic tam ſacrilegę dicacitatis in Eleochriſma ſalutis, vt oleum Diaboli mendacio conſpurcatum illud appellet. Si enim tanta Religione colebant Romani veteres oleam, vt profanis vſibus pollui crederent; Elæi autem in Græcia oleaſtrum, quò tantopere ſuperbiebant olympicorum Certaminum Victores, tam ſanctè tractabant, vt ipſos ramos contingere nefas eſſet inexpiatis hominibus: qua ratione pollutus hic anathema, & pharmacus in-

expia-

expiabilis tractandus eſſet à nobis, qui oleum ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis ſumma ſemper religione habitum, diuiniſque precibus ſacratum execratur, vt pollutum magicis ſuſurrationibus? ſed oleum & operam cum deliro, & fanatico perderemus. Ganniat contra oliuum, amurcalis Ganeo, & crocitet, nam Coruus eſt, qui rideri quidem ſolet inter olores, remorderi autem non ſolet: E coruino, inquam, genere roſtratus oſcen hic eſt, exutus mores omnes Columbæ Diuino Sponſo tam caræ; illa enim oliuum præferens in Arcam ſe retulit, recepta in tutum ab omnium ſeruatore Noe. Hic autem importunus, & peſſimi augurij Coruus, è nauigio Petri ſemel egreſſus, quia reuerti renuit, oliuum, & fructum eius lacerat, ac diſcerpit; Reſtet igitur foris cum cornicibus & vulturibus, ſaturetur cadaueroſis pabulis, donec tandem ſuo ipſemet corpore, oſſa morticina Tartari, paſcat æterna ſagina Cerberum collatratorem ſuum.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE

Siue

Tertia legio Mirmillonum, & Saperdarum.

LATRARE autem, ac rudere parum eſt Aduerſarijs noſtris; veniunt enim ad morſus, & laniatum ij, qui tertiam legionem conſtant huius exercitus. Quamquam non hic exercitus ducitur, non educitur acies, nulla eſt hic ordinis explicatio, nulla facies agminis: ſed turbarum caligo tenebricoſiſſimè inuoluta, tumultuaria, & con-

conſuſanea, videtur hæc vomitio Babylonis, Antichriſti iam imminentis præcurſoria quædam abortio, degenerans in antiquum Cahos planè dæmogorgoneum, ita ſine ſignis, ac ſigniferis raptim, ac turbatè baccanal exercent, ita diducuntur in partes, & ſecum ipſi rixantur, verberantur, digladiantur, obtruncantur Cyclopes, ac lapithæ. Quod ſi olim bellatores, qui diſtrictis vltro in ſe gladijs conciderunt; ex dentibus Cadmæi ſerpentis geniti perhibentur: profectò laniſtæ, hi proſeminati fuerunt ex molaribus Draconis illius magni & rufi, cuius cauda ſtellas cæli traxit in terras, hoc eſt, tot primores Eccleſiæ proceres deiecit in lutum, ac ſordes. Nā quis furor, ò myſtæ, etiamne in templa facto impetu ſæuiunt Templorum præſides: aræ igitur expoliantur, & diruuntur à Clericis? ſacra, & ſacrorum opes, atque inſtrumenta compilantur, dilacerantur, diribentur profanis, à ſacrorum cuſtodibus? Quin etiam pro victimis mactantur hoſpites, domeſtici trucidantur, complenturque fora, vrbes, atque oppida inſepultis ciuium ſepulturis. Vndenam tanta, ac tam ſubita perturbatorum temporum commutatio, tanta fortunæ colliſio, tam inciuile ius datum immani diſcordiæ? Cauſa in aperto eſt. Sublato à nefarijs prædonibus Euchariſtiæ Sacramento, hoc eſt communicatione cum Chriſto, authore vnico pacis, quo mira-

charitate, in vnam ſtructuram myſtici corporis coaleſcimus, neceſſe fuit abrupta concordia diſtractionem, & dilacerationem bonorum omnium fieri, ardere bella exitialia, funera immatura non tam domorum, aut familiarum, quam vrbium & prouinciarum incendijs tartareis terminari.

Quoniam verò rerum omnium ſub Luna iacentium aliquis tandem eſt terminus: ſi cædium, ac rapinarum ceſſationem aliquā indicunt, non propterea litium, & ciuilium contentionum indutię conſequuntur. Alia enim extemplo facie, in aciem prodeunt, emeritis veluti ſtipendijs nouæ impietatis, Effecti, inquam, ante diſciplinam Magiſtri, Morum Cenſores, Iudices, Legislatores & ſacrorum Reges. Ita ſubitò ſapiunt vltra crepidam, Aeſopici graculi. Non cernitis, vt pro militaribus curribus, curules ſellas, & ſuggeſtus iudiciales circumferunt; vt cathedras, pulpita, exedras, hemicyclos, & tribunalia occupant, ex quibus vnuſquiſque pro arbitratu ſine arte inquirit, vocat in ius per iniuriam, defendit ſine clientela, ſine cognitione iudicat, ſine imperio iubet: Gaudet plus, qui plus audet, qui plus poteſt, plus ſapit: ſapiunt autem omnes vno ſapore inſcitiæ pertinaciter inueteratæ. Quot enim capita, tot Capitones hic ſunt: pauciora ferme dogmata recenſebis, quam dogmatiſtas: vbi tres decuriæ puerorum ſunt, ibi ſeptem

Cen-

Centurias pedagogorum vides, ſeptem quibus decem Paſtores præſunt; nullus in tanto ſenatu pedarius, nullus ex tanta multitudine populus, ita cuncti magiſtratum gerunt, vt facilius poſſis magiſtrum, quam hominem inuenire: ex proprio enim ſuo illo ſpiritu interno efflante ſpiras, ac nodos vnuſquiſque ſine iuriſdictione ius dicit, ſacras leges profani, & polluti condunt, ipſum chirographum Numinis ex libidine omnes lacerant, & extendunt, peruertunt, eneruant, vt Euchariſtiæ omnes neruos incidant, vt Chriſti præſentiam à Sacramento diſterminent.

An non videtis, quo armatu procedant horum Ducum Satellites, qualia fulmina ſubminiſtrent hi armigeri, non Iouis Aquilæ, ſed Plutonis vultures? Nempè pro telis ritè argumentantium, pro clypeis legitimarum defenſionum, trullas afferunt cæmentariorum, quibus tectorium inducant apertiſſimæ veritati: cultros lanionũ ferunt, quibus ſublato Chriſto, ideſt, Capite communionis mutuæ, diſcindant totum Corpus Eccleſiæ: an non furnulos Alchymiſtarum comportant, in quibus ſophiſticas illas, & chymizatas (vt barbarè loquar cum barbaris) figuras, ac tropos abnormes componunt, contortiones incredibiles ad orationem obliquandam concinnant, quibus Euangelij apertiſſimam quamque ſententiam, tanquam diuinam monetam adulterent falſarij Religionis:

Molas denique truſatiles, quibus ſacroſanctum illud frumentum Electorum redigant, non in farinam, aut furfurem; ſed planè in cahos, ac nihilum: ita cænam illam ſuam ſine fundo, ac fundamento, ſolo fumo, & vmbra inſtructam apparant coqui ſtabularij; ita pocula cæleſti nectare vacua miniſtrant Ganimedes Orci.

Sed inter pocula etiam à cœna bene poti, & ſaturi eructant reſponſa iuris, & religionis, dum ſeruilibus probris, ioci ſq. petulantibus irrident noſtra iura cum ſacris, noſtroſque Iuriſconſultos cum ſacrorum peritis illudunt. At quibus igitur legibus mores fulciunt, quibus iudicijs firmant cauſas, quibus axiomatis ſuffulciunt ſententias ſuas hi recentes in iure Vulpiani, Scæuolæ, Pomponij, & Marciani? Digeſtis non vtuntur, indigeſta enim omnia apud illos reperies: literas decretales non adhibent, quia ſponte ſua ſine literis literiones euaſerunt; ſoluentes omnem litem, & obiectionem vnica lege. *Ignorantia iuris & facti.* Quorum profectò mores, & decreta, ſi noſtris legibus aptare vellemus, ludificandi locum perilluſtrem haberemus. Fac enim, vt quis occultè Catholicus, vnum aliquem ex illis magiſtrum pecoris compellans, neget monſtroſas, & abſonas eorum opiniones in ſacris codicibus reperiri.

Reſponderunt iam ex Cap. *Innouamus De Crimine falſi*. Reſpondent, inquam, re-

reperiri, ſed in Biblijs correctis, ideſt, corruptis á ſe, non autem in noſtris. At inſtabit vnus è noſtris. Ecce Catholicorum ſententia in quammultis diuino ſtylo exaratis libris apertiſſimè legitur. At illi præcautores iam confugerunt ad legem falcidiam. Falcauerunt enim, & amputauerunt Capita de libris, circumciderunt periodos, libros integros de diuino tabulario abſtulerunt: quos enim in ſuas partes vafris interpretationibus trahere non poſſunt, perfrictā fronte negant eſſe canonicos. Quid ſi in eorum etiam deprauatis codicibus aliquid incautè relictum noſtræ cauſæ fauens afferatur? Fautorem implorant ex tribu Voltinia: agunt lege Traiectitia, hoc eſt, ex latino codice ad græcum appellant; ſi Græcus non iuuerit, ad Hebraicum ignotiorem traiectant difficultatem; ſic ab vna ad alteram, ex altera ad aliam, atque aliam typographorum impreſſionem prouocantes, controuerſiam vertunt, donec vertiginem ipſam in caput arguentium tandem immittant.

Quòd ſi relicta ſcriptorum authoritate, rationum euidentium procellam imminere ſibi ob manifeſtam dictorum ſuorum repugnantiam, videant. Lege Mutia comperendinant: transferunt diſputationem in alium diem, quo etiam

vſi beneficio legis. *Abeſſe rei ſuæ cauſa. De fugitiuis*. non comparent.

Sed aliquando deprehenſi ſubterfugere nec locum, nec argumentationem poſſunt. Quid ergo conſilij capiunt? Alij quidem conſulunt ſibi per legem Furiam caninam; relictis enim propoſitionibus, concluſionibus, & argumentis ad furioſa conuicia, ad mordentia ſcommata, ad ludicras irriſiones quæſtionem referunt, & ſuburranis prouerbijs, ſcurrilibuſque cauillationibus, & maledictis ex triuio, contendunt (per iocum ad plebem prouocantes) quòd ſerio ſoluere inter ſapientium exedras non poſſunt: alij verò prouecti altius calore diſputationis, trahunt litem ad l. *Iniuriarum. De vi, & de vi armata*. E rabulis enim, ac magiſtellis euadunt in Thraſones & Spartacos, Fuſtuarium arguentibus intentare, vulnera infligere, cædem facere non dubitant. Turcicum, planè philoſophandi genus, dignum authore non Platone, aut Ariſtotele, ſed Cyclope, ac Leſtrigone illo Carolſtadio, qui gladiorum pariter, & poculorum Princeps, non minus ſanguine, quam vino ſaturari conſueuerat.

Hic ex Archidiacono Chriſti, Archipyrata Diaboli, hoc eſt, Lutheri Gymnaſiarches effectus, infelicis trunci ſeca-

men-

mentum aſperum, ſylueſtre, ac peſtiferum fuit: etenim ſuprà, & contra Magiſtrum fatuum inſipiens, & infrunitus, primus omnium noſtri ſæculi è Cæna Chriſtianorum panem vitæ verum ſuſtulit, harpya fædiſſima; ſanctum etiam proiecit Canibus, varijſque ſeditionum incurſionibus, ac turbis ſacras imagines è templis conuellens, & proculcans in compitis, Zuinglio, & Oecolampadio latronibus, & lateronibus adiutus, ſacrorum omnium dominationem, ac principatum deprædatus eſt, vno ſuimet nutu, ſiuè potius vitiorum omnium ſuffragio conſtitutus violentus Rex hominumque, Deumque. Mox, vt ne nouus hic Iuppiter pappa, ſine aliqua Iunone couella imperitaret: inaudito ab Eccleſiæ natalibus Chriſtianorum propudio, inconceſſis, & ſacrilegè incæſtis hymenæis publicè, & impunè Cælibatum Romanum conſceleravit, ducta vxore in oculis omnium obſtupeſcentium execrandam pompam libidinis. At quibus facibus nuptialibus? Cereis nimirum ab ara Chriſti violenter ereptis, deque Tyſiphonis face ſuccenſis.

Et noſter quidem nebulonum Agamemnon nonniſi Clytemneſtra aliqua coniuge dignus erat: ſed quoniam ex Diacono Eccleſiæ, Myſta lupercalium factus eſt, lupam aliquam accepiſſe

ſerebatur; imò quia Bruti veteres habuerunt vxores percelebres ex familia Porcia, quis ex hac gente neget rem nuptialem prouidiſſe ſibi hominem, qui tam brutus ingenio fuit, & moribus Verres? ſed cuiuſcumque generis illa fuerit, certum eſt nupſiſſe cum Arcadiæ pecuarijs Menſe Maio, & cornicibus ad læuam cantantibus, quia nec bona, nec bonis auſpicijs primum imbuit exemplum impuriſſimæ contagionis. Ab eo ſiquidem tempore quot ſacri generis capita ex ouili Chriſti ad Epicuri greges transfugerunt? Quales Domus Deo ſacræ, quanta, & qualia Cænobia Virginum turpi metamorphoſi Caprarum, & hircorum ſtabula extiterunt? Quot ex philomelis hymnorum ſacrorum cantricibus enatæ ſunt paſſeres pruriginoſæ in ſacrilegam voluptatem? Quot harmoniæ ſacræ modulatores pro diuinarum laudum canticis grunnire, & adhinnire didicerunt? Quis crediſſet e hortis deliciarum Chriſti tot Satyros & Salmaces prodire potuiſſe? ſed credidiſſet facilè, ſi ad cauſam animum aduertiſſet. Cum enim in Eccleſia, Vinea illa operarie Deo tam cara, ſanguinem Chriſti, hoc eſt vinum germinans Virgines ab Euchariſtiæ Sacramento reiecisset; quid mirum, ſi ſtirpe integritatem germinante reciſa, flores, ac germina

mina Virginitatis, & Caſtimoniæ arue-
runt.

Sed fauces areſcerent nobis, & oculi, ſi pro dignitate conqueri, ac lacrymari tantam pudicitiæ, ac pietatis calamitatem vellemus. Neque immorari diutius poſſumus in hac turma cenſenda.

DE
SACRAMENTO
POENITENTIAE

Siue

Quarta legio Tenebrionum Balbutientium.

OFFERT enim ſeſe ſpectandum alind ſignum illatum à legione quarta, fœdiſſimè etiam diſcerptum, ac præfractum à ſuis: ſi tamen hi ſpectari à nobis, atque internoſci poterunt: ſiquidem miris intemperijs acti, circumferunt ſecum latibula cymmerijs tenebris inuoluta, & ſeſe occultare ne-

nebuloſa caligine ſatagunt; de raparum genere frutices hi videntur eſſe, ita nebulis gaudent & proficiunt: Nam quis hic Æneas cum Achate non fido.

Infert ſe ſeptus nebula
Per medios, miſcetq; viros, neq; cernitur vlli?
Num Venus obſcuro gradientes aere ſepſit?

Profectò aut Venus ad cælandam turpitudinem, aut Lauerna ad aſylum tutum furandi, huiuſmodi latebras hoſtibus noſtris dederunt. An ſicut olim apud Homerum Pandarus deliteſcens Menelao vulnera infligebat, ita hic (vt eſt apud Vaticinum Regem) ſedet impius in inſidijs, vt interficiat innocentem, vt ſagittet in occultis immaculatum? Certè omnia hæc tenebrionibus hiſce mirè conueniunt, nonniſi opera tenebrarum meditantibus, & molientibus, qui etiam nimis apertè fatentur ad primi Adæ labem, ac luem, non ad ſecundi ſalutem & gloriam pertinere. Adamus enim ille primus ſtatim à crimine reuocatus ad brutam quodammodo infantiam, induit ficulneam, veluti puerilis inſcitiæ prætextam, & abſcondit ſeſe: hic autem alter pro omnium ſcelere moriens, nuditatem in ligno non erubuit, ſed venas ipſas, & latus, cuſtodiam cordis, aperuit.

Aperire autem quis poſſit nobis conſilium eorum, qui ſepiarum ingentem multitudinem in fiſcellis, & calathis circumferunt

ferunt ſecum in hoc agmine? æmulantur ſanè & ipſi ſepiarum indolem: ſepijs enim Natura caput inter ventrem, ac pedes conſtruxit: ſepticis vero hiſce ſcorpionibus noſtris improbitas ipſa mentem ita, ventri conglutinauit, ac pedibus, vt terrę ſemper addicta ad Cœleſtia neutiquam aciē vertere conſueuerint ſuam.

Sed conuertite oculos, quæſo vos, ad eos blaterones, qui acceptas ex vepribus lutoſis in populum latè diſpergunt rubetas ranas, ranunculi ipſi, vocaliſſimi loquutuleij; Credo, vt populares ſuos nouis ad virulentam loquacitatem ſtimulis impellant. Imò verò ex Magorum veteri diſciplina delirant hi contrà quam ſapiamus nos; vt ſilentium faciant in vulgo, vt vox coaleſcat veluti palimpiſſa glutinante cum faucibus, neque mutire vllum verbum quis poſſit; ranas illas diſſeminant, quaſi magicè præcantatas ad taciturnitatem. Video enim ex his Noctiuagis alios, qui digitis ori appoſitis labra decuſſantes, reddunt Harpocratē, ſilentium cunctis indicunt: alios rurſus audio, neque enim ſilentes ſunt. Sed, neque loquuntur tamen; ita pauxillatim, ac ſtillatim ſenſum ſuæ mentis amentis breuiloquentia pluſquam laconica ſemicolant. Si paralyſis horum balbutientium linguam emilinguem inſediſſet, non tam inconſtanter, atque trunpatim ſemeſa verba diffinderent: ſed alij in hoc veternorio ſtudio Doctiores ſuis

arte

artificio verborum non indigent, geſtibus ac nutibus fabulas agant ne, an hiſtorias exprimant, neſcio: Vnum illud ſcio: Pantomimum antiquum inſtaurant. Imò ne inferijs hiſce Baccanalibus vlla baccatio deſit; omnes ferè perſonati diſcurrũt, & ita ſemilaruis partim Dædalos, Labyrinthorum inextricabilium Architectos, mæandros indeprehenſi curſus ac vorticis, partim Phæbades amphibolicè fallacioſas ex tripode, partim Bilingues Sinones, alioſque verſipelles panurgos imitantur

Hoc apparatu ſcenali procedunt in modum Ludicræ ſupplicationis ad inſignem quādā Baſilicam, ornatā enim verò ſumptuosè, ac ſplendidè. Ne Caprile quidem, aut bouile ita comptum eſt, & cultum: tam magnificè de Deo ſentiunt: tam munificè res diuinas colunt colatores hi culicum, vt camelos deglutiant. Ibi ſuggeſtus ex caprifico, ſambucoque euanidis compoſitus, ſubſtructione gradata in tribunal conſurgit: cui pedamento iudiciali, ne iudex pedaneus aliquis deſideretur: ecce tibi puerum luſcum Bomibalionem formicino gradu accedentem, & mox, cum libra iuſtitiæ, inuerſo cacabo inſidentem. Eius caput ex fungina materia figuram, & ſapientiam cucurbitalem habet tanta in peruidendis iuris apicibus perſpicacia, vt talpa conſequatur oculis viſa rèmotiora, quam quò magnus hic Cæculus eius peruenire poſſit ingenio; vt omnes

telligant, præſtantiorem antiquis Aræopagitis hunc Iudicem eſſe, qui non niſi in tenebris animi, & corporis iudicium exercere poteſt. Neque tu hominem magis Camelum vnquam videris, tam arcuato gibbere incuruat humeros teſtudineatos: Et aurium quidem grandi admodum prærogatiua cooptatus in gentem Aſiniam fuit: Sed vt audiendis cauſis eſſet habilior, tympanum auſcultandi ex genere quercu-lano ſortitus eſt omni pelago, ac Littore, ſurdior. Quid de proferenda ſententia, dicemus? Labra quidem ſermonis extillandi ſuggrundia, ſuperius reſima, ſubtus vero dependula, non tam os, quam oſcedinem ipſam componunt: ad vſum vero ſplendidiorem vocis, faucibus bugloſſam ruminat opinior, aſſiduè; neque enim hominum lingua loquitur, ſed boatum inconditum edit, cum ſententiam parturiendo pronunciat: ita ſonos articulat cum litigatoribus, vt bouem lucam loquutum eſſe credant ex armento Circes, aut Polyphemi: Pedibus denique tremebundis non ſecus ac ſi querquera febre laboraret, inſiſtit ſuggeſtui, tam ſupinus animo, imò tam corpus ſine anima, & coma ſine capite, vt credas illum iamiam de ponticulo cadere præcipitem in lutum per caputque, pedeſque.

Verum ne turdus hic tam ſtupidus occuparet totum ſaltum ſine aliqua ſorrore merula, mulierculam applicuerunt illi demen-

mentiorem Acco, aceiſſantem, inquam, deterius: Sane, vt noſtræ mulieres Orcum & Lemures nocturnos interminando, deterrent infantes ab indecoris luſibus, ita veteres Matronæ, Acco & Alfito nuncupatis; auertebant pueros à peccando. At hęc veſpertina larua iurgijs, conuicijs, contumelijs & verberibus inuitabit etiam adultos ad turbas, & prælia.

Atque ipſa iam tribunal aſcendit Nouerca Radamanti, tam acerba vultu, tam rure plena, & rus merum, vt non niſi ſceleratam ſinapim, & viridia ſorba perpetuo commandere videatur, ingenio tam ſtipes, & conſilio tam ſtyptica, vt mentem eius non ex auro Dij ſuperi, ſicut ſictos Heroũ ſuorum animos volebat Plato: ſed ex rubigine ferri, megæra cum Thyſipone, alchimia planè tartarea, conflauerint. Quod ſi non tartara ſolùm, ſed Cælum etiam ad huius Mamachutæ conflaturam natalem intentum, ac operoſum commonſtrare vellemus, ſicuti Poetæ faciunt, dum ſuis Heroinis anticipatã ex natalitio ſt[illegible]um conſulto fælicitatem promulgant, miris modis aſtrorum induſtriam deſudaſſe in hac rapa procreanda diceremus.

Etenim equum, Equiculum, & Aſellum cum toto ſuo Præſepe nebuloſo, & informi afflauiſſe primam auroram Noctuæ huius diurnæ quis? neget, nam & genere, & moribus planè ſtabularia eſt; & ſi quicquam dicere attentauerit, non ſermoci-

pari

labores aſtri vulturij, quę roſtri adũci potius, quam humani oris ſpeciem oſtentant. Quibus etiam, quo grauius & vberius ex tuſſi excreare nititur, eò minutiorem ſcobem, & puluerem ſtriatæ æruginis eiectare videtur, tam putri pumice fartis inteſtinis, & tam extenuata cute velatis, vt inciſor anatomicus viſcera omnia, ante ſectionem videre per pellem poſſet: poſt ſectionem, reperire non poſſet. Sagittarij cuſpis malefica dominabatur in æthere, dum lingua huius Lingulacæ primum aerem linxit; multum virulenti flaminis inſtillante ſidere Scorpionis. Sed Venus omnis, & Mercurius cum Ioue ac Sole ipſo dormiebant in tenebris: ita nihil operis, aut gratiæ contulerunt in hanc ſtrigem, quæ peſſimo interlunio cum paguris, & oſtreis decreſcentibus genita incrementum accepit: Tota tamen facies lacteam Cæli portionem refert; ſicut enim diuerſæ vndique ſtellæ intermicantes regionem illam lacteam teſſellatam reddunt ex lumine: ita variæ paſſim puſtulæ opere lacunoſo, & tanquam emblemate vermiculato vultum vultuoſæ iſtius exornant: Et ne omnis planè Planeta vacaret ab hoc opere tot inerrantium ſyderũ: ex roncho Martis, & oſcitatione Saturni quicquid habet in corde Spiritus, aſpiratum illi eſt, vt pedare, ac repedare aliquò poſſet, ne ſemiuiueret, tanquam Zoophytum in concha. Sed omnis ejus motus motorem, &

inſti-

inſtitutorem Cancrum habuiſſe fatendum eſt: tam retrograda enim ſucceſſione membrorum capreolatim progreditur, vt antequam egredi quopiam cœperit, omni ex loco regredi videatur.

Sed nos læuorſum ingredi, & egredi omnino limites non ſolum expectationis veſtræ, ſed noſtræ etiam dignitatis, Cælumque ipſum peragrantes toto Cælo aberrare videmur, dum inter inſulſas, frigidaſque tricas detinemus orationem, vt iocularibus lineamentis adumbremus hũc Morionem, & Maccam. At ego extra iocum pronuncio, me nondum omnes dotes, ac munera indicaſſe, quæ ad conſequendam in foro Dei poteſtatem iudiciariam vel exigunt, vel admittunt admiſſarij nebulones Sacramenti Pœnitentiæ illuſores. Enimverò ſiquis veſtrum, Aud. ad præclaram huius Sacramenti adminiſtrationem expolitur, geminum hic habet exemplar, Helenã & Pollucem, quos ſi dignè imitari velit, faceſſat protinus ex hac ſede, adeat Campum Floræ, & Iudaicum forum, aut ex cauponulis & ſtabularijs, â triuialibus plebis mendiculæ retrimentis veſtes pro Sacro mundas, & mores decoros accipiat. Enimvero ſicut nos ad Magiſtratum clauium cæleſtium obtinendum requirimus in Candidato iudicium, Scientiam, experientiam, & decoram vitæ, rerumque omnium dignitatem, ita illi futuro Diuinarum Cauſarum Iudici inſcitiam

tiam rudem, ac ſtultitiam vecordem, indignitatem generis, & vitæ ſordes, rerumque omnium fætidatem accommodatam æque faciunt & agnoſcunt: agnoſcũt enim & meminerunt Lutheriones Caprarij. qui ſaliuam omnem diſſluentem ex Barba hirci ſui, Ducis fætentis, recolligunt, memoria, inquam, recolunt, quid Lutherus teſtamentum condens particulonibus Doctrinæ ſuæ reliquerit in hæreditarijs Oraculis, & inſtitutis. Aduertite animum, quæſo vos ad vocem Pithiæ, ſiuè potius ad ſibilum Pythonis. Tantam inquit Lutherus gratiam & poteſtatem abſoluendi pænitentes habet puellus abecedarius, & fæmina ſputalitia; quantum ſe gloriantur habere Papiſtæ maiorum Gentium Sacrificuli & Papa ipſe cum toto ſuo Papatu: tam decumanas ore poſt Cænam bullantes, ſputare ſolebat ſententias Archipapa ille Curculionum, ac Cinifum, cuius ab expuitionibus, ſi tales dabat, mirum non eſt, tot ac tantos bufones plenos veneni, ac veneficiorum aduerſus Eccleſiam prodiiſſe.

Verum ſi craſſipelles Murcos & Petreias buccipendulas iudices in diuino foro conſtituunt tenebriones hi, qualis erit forma ipſa Iudicij? Qualem profectò indicauerunt nobis huius legionis gregarij, qui præceſſerunt: cum enim poteſtate, ac peritia diſcutiendi, ac noſcendi ſacras quæſtiones tanti valeant arbitri, & Præ-

ſores in hoc foro, quanti Battus, aut Blē-mias in Comædijs, & Mimis, cur non liceat actoribus ac reis, ſiue (vt loquimur) pænitentibus Satyrica etiam petulantia colludere, & illudere, annuere, inquam, & abnuere, ſilere, obſcurare, perturbare, & labefactare omnem cauſam Veritatis. Et in hac quidē vna impudentiſſima ignorantia cohærere ſibi indoctiſſimorum hominum doctrina videtur; dum aſſerunt pro legitima expiatione culparum explicationem criminum minimè neceſſariam, imò & ſuperfluam, ludicram, & ineptam eſſe. Etenim qui ad Iudicem puſionem illum, externatæ mentis lepuſculum, culpas confitendi gratia deuenerunt, gratius puero facient, ſi perſonati, ſemiconſpicuis vultibus, totius Cauſæ frontem adornent, ſoliſque geſtibus, ac nutibus obtruncatam ſententiam mimicarum perſonarum explicent, quam ſi hominum ſeriò ingemiſcentium triſtes querelas exponant. Qui verò mimam illam mordaculam veteri Calpurnia importuniorem conſulunt Confeſſariam, ſi velit ea durius vitæ actæ rationem repoſcere, inquiritando ſubtilius, coarguendo, & obiurgando grauius: licebit ſanè reis ſeſe purgantibus, oratione flexiloqua, ambigua, tenebricoſa Labyrinthos, & mæandros intendere, iuuabit atramento ſepiarum, cauſæ faciem obtegere, omnemque ſtatum quæſtionis occulere.

Sedquamuis horum tenebrionum antepilanus, & Dux occultare ſe per vmbras miris artibus contendat, aſtutiſſima vulpes, lupum tamen tenemus auribus, imò tenemus anguillam, quæ lubrica volubilitate, ſpirarum erratico lapſu fallere piſcatorem nititur; & fallebat nos profectò; nam colore tam furuo, & atro nigreſcit hoc animal, vt non anguilla prehenſa à nobis fuerit, ſed piſcis nigricauda, Melanurus, nigerrimus, inquam, ille & nomine, & moribus, Melancton Philippus: quamquam numero ſingulari non bene conſtruitur à Grammaticis hoc indiuiduum perſonale: quia in modum plurium belluarum incedit, nec in vnum quid coaleſcere vnquam potuit.

Tam varia illudunt ſpecies, atque ora ferarum.

Si tale monſtrum pelagium eſſet, ſicut eſt terrigenũ, Proteum illi fuiſſe Pappum, & auctorem ſeminis crederemus, non minus enim, quam Proteus transformis eſt; ſed Proteo tamen vinculorum vi veram ſpeciem tandem reſumente, deterior Vertumnus hic.

Nec domitus vinclis in ſua membra redit.

Primùm enim in Zenonis porticu barbam ſtoicam educauit, tum repueraſcens in Manichæorum Pædagogio, Elephas abecedarius Maniæ illius pluſquam Alphabetum, ac rudimenta ſuſcepit. Mox

Lutheri architectonis factus cæmentarius, coædificare Babylonem cæpit: deinde ab Architecto altrouerſum actus, congeſtitia diſſonantium opinionum palatione, fundauit, in rebelli ſolo Sammariæ, nouas domos Mendacij, pro ſculptilibus Canaam, in muſcipulam filiorum Iſrael. Cum enim confeſſionem noſtram per ludibrium auricularem vocatam ſæpius exagitaſſet; multis argumentationibus tandem concluſit, ſententiam à Iudice, inaudita cauſa, ferendam eſſe, mox nouæ Confeſſionis auctor, & actor, Confeſſioniſtarum Choragus, præſtigialem temeritatis conſtantiſſimæ fabulam dedit incredibili ſcenarum mutatione verſatilis; E genere Ciconiarum, mentem atque ingenium hominis fuiſſe dicebant, quòd ſicut illæ pro tempeſtatum varietatẽ habitationem commutant, ita hic pro diuerſitàte temporum, Religionum, & morum dogmata permutabat; Cerebrum cerebroſi huius Capitis ex ebullitione freti, aut euripi alicuius aſſiduè reciprocantis deſpumatum & Cameleontis pulpa ſolidatum fuiſſe videbatur: tam varias enim habuit agitationes fluctuum, vt ſuper vna iuſtificatione Impij, quaterdecies mutauerit ſententiam, ſi ſententiam, aut ſenſum humanitatis habere vllum potuit brutum illud ſenticetum aduerſum ſum omnes bonos aculeatum; Qui ſentire de Diuinitate tale quid auſus eſt

quale

quale ne lapithæ quidem, aut Caſres, aut Centauri, ferarum ingenio, moribuſque agitantes, dicere vnquam, aut cogitare auſi ſunt. Deum enim fontem illum vnicum omnis virtutis, ac laudis, Magiſtrum, auctorem, impulſorem, effectorem omnium flagitiorum, ac ſcelerum confeſſus eſt. Quod ſi vnuſquiſque conſceleratorum hominum ſuis tantummodo criminibus ſuper, ſatiſque inquinatus, ac teter eſt; quis non videat, Deum omnium planè viuentium fore nequiſſimum, & inquinatiſſimum, ſi eum ex omnium libidine, crudelitate, crapula, ſordibuſque vitiorum omnium conglutinatum, conflatumque fatearis! Auditis quam confeſſionem noſtræ auriculari præponat exoculatus Cyclops, & Procuſtes. Nimirum acerbiſſimus hic fidei chriſtianæ tortor, ſine tortore & fidiculis ſponte ſua profitetur fidem, cui non niſi per paludem ſtygiam date iuſiurandum poſſit; iurat enim Deum omnis improbitatis, ac malitiæ architectum ſimul, & fabrum eſſe: hoc eſt, in popinis Ganeonem impurum, in compitis, ac triuijs conſceleratum latronem cum amicis proditorem Barbarum, apud ciues furioſum Thracem, in luſtris conſuetum proſtibulum, ſurem in templis, inter Sacra blaſphemum, veteratorem in Aula, in Vrbibus, Regnis, Imperijs atrociſſimum Tyrannnm, vbique ferum; turpem, nequam vt pote in omnium ſcelera,

& flagitia effuſiſſimè ingurgitatum ; Hoc ſi Deum confiteri eſt, quid erit Diabolum profiteri ? Vtramque iam obdormite in aurem, mali Dæmones, Plutonis Satellites : nimis prouidè in veſtram gratiam invigilat malorum omnium Machinator, & Inſtigator Deus.

Et tamen hic præpoſterus Lutheri Scholiaſtices aranearum Scoparius, ac ſordium collector in Scholis, gloriatur ſe ſubtiliſſimis rationibus hanc Doctrinam euiciſſe. Agnoſcamus igitur nouũ Doctorem Mercurium, in Theologia quater Magiſtrum tam acutum ingenio, tam ſtudioſè, ac feliciter in arte noſtra verſatum, vt inter Deum, ac Diabolum, nihil adhuc diſcriminis potuerit animaduertere.

DE SACRAMENTO EXTREMAE Vnctionis.

Siue

Quinta legio Plagoſorum Languentium.

SED nihil prætermittendum eſt, quin clarè pernoſcamus Colophantam, & Scycophantam illum, qui, ante expectatum, accedit iam propius. Adſtat profectò ſtatu confidenti, quaſi nouus qui-

dam in ſeditione Gracchus : ſupercilium enim tribunitia poteſtate grauidum circumferens aduerſus Patres , nauſeator antiquę virtutis , vetat nos fidere , aut credere authoritati maiorum , nepos ipſe, cum ſit profligatorum peſſimus : ſed Melanctone longe ſenior tamen eſt , & Iuuentutem Legionis quintæ adducit in Campum ſub vexillo planè lacero , ac diſperſo. Mirum, quantum caliginis diſpergit nobis in oculis Noctifer procelloſus. Viden , vt aſpectu ſuo contenebrauit ! primam veſperam attulit , quæ noſtri æui hæreticos omnes ,hoc eſt ,transfugas , Lucifugas in æternam noctem coniecit. Quod ſi luporum ſolemne tempus ad prædam egrediendi , tenebricoſum eſt , & lupi veſpertini, ac nocturni diuinis etiam ſermonibus famoſi ſunt ; Enim verò lupus eſt in fabula. Auditis, vt.

Pleno inſidiatus Ouili
Iam fremit ad caulas , atque aſper , & improbus Ira.
Sæuit in abſentes.

Agite , intentos oculos animoſque committite , ne nos ille viſu anteuertens , ineloquentes reddat , vt cum

Lupi Mœrim videre priores.

Atqui bene præfeſtinauimus illum cognoſcere

gnoſcere: Non tam lupus hic vlulat, quã Vrſus vngues arrodit, & acuit, Egreditur enim ex Caledonia Sylua & mox diuturno ſtudio exercitus in palęſtra Mercurij, feritatem, & aſtutiam Vrſorum propriam à Natura ingenitam, etiam in Deum ipſum, retinet Ioannes Vvicleſſus, ſæculi præteriti macula, & opprobrium; Magnus ille anteambulo, & lectiſterniator Lutheri, Caluini emiſſarius, & Laternio, prima Caligo temporum vltimorum, & tuba belli exitialis in Eccleſia nondum ab omni parte reſtincti.

Namque hic Phyloſophaſter Pantoides epythagoræis calculis, & computis erutus, nunquam tamen Pythagoræ ſilentio delectatus, pythagorica, ſi fas eſt, credere metamorphoſi, in Epicuri Philoſophantis corpore inhabitauit olim, ità nunc præſefert ſimulacrum Ingenij: quemadmodum enim fatetur, nunquam ſe intelligere potuiſſe accidens (vt ipſe loquitur) ſine ſubiecto, & vnam ſubſtantiam alteri penetratam: ita dari vnum Corpus ex atomis conflatum, ab eoque ſpatium infinitum, quod ipſe omnem locum poſſibilem vocat, occupari nunc reipſa credidit, infinita quadam ægritudine phreneticæ credulitatis.

Verum non hic vnus præſtigiator lymphaticus ægrotat in iſthoc agmine quinto. ſaluus ego ne ſim, ſi vel vnus ex eius grege contaminato quicquam ſanitatis habet,

ita cõflictatus vnuſquiſque cũ morbo, mortis victoriam in horas expectat. Si viuit hic vllus homo, qui cadauer non ſit, volo cadere cauſa in ſepulcrum; Nam quæ peſtis, Deus immortalis, hanc partem exercitus tam miſerè lacerauit? non bigæ, aut quadrigæ bellico inſtrumento refertæ diſcurrunt, ſed tranſtris ruralibus, & trahis pratenſibus, montaniſque birotis circumferuntur corpora mortalium confecta macie, viſu horrida, pædore obſita, non homines, ſed hominum ſomnia vmbrarumque fruſta, & reliquiæ pallentes, exuctæ, exiles in lectulis, & grabatis ſub pergulas partim ſarmentis junceis, partim ſalignis cratibus abſidatas, partim etiam camerarijs cucurbitis adrepentibus intertextas, & luto etiam caminatas, vt foculi pharmacorum inſtructores expirent. Non hic ergo aciem bellatorum falcatis curribus caſtra mouentem; ſed languidorum, & ægrotantium deſperatorum Noſocomium portatile lentis ſandapilis ad lybitinam pergere, diceres, Spiritum iam iam quæſitum Plutoni reddentes: niſi videres omnes adhuc ſperare, dum ſpirant. Numquid more Babyloniorum, ægrotos domibus in publicum exponunt locum, vt a prætereuntibus præſcriptionem aliquam, aut monitionem medicam accipiant? at hi ſupra medicos, & medicinam ipſam ſapere ſe prothomedicè gloriantur, probaticam fortaſſe piſcinam verſus, iter ſuſceperunt

ceperunt

ceperunt, ſed miſeri, Vicario Chriſti relicto, hominem non habent, & pro benigno ſalutis Angelo deſcendente, in alium inimicum Aegypti percuſſorem excurrentem inciderent.

Certè ſiquis veſtrum, Auditores, theoreticem Medicæ, facultatis à limine ſalutauit, & medicam exinde praxim incæptare velit: nihil eſt, quamobrem fatigetur aſſidue, pedes trahendo vicatim poſt magiſtros artiũ, vna hic viſitatione, ęgrotationum omnium momenta præhendere, omnium ſynptomatum experimenta comprehendere licet, & vacat. Nam quis eſt in Galeni pædia tam rudis elementarius, qui omnium morborum alphabetum integrum legere hic non facilè poſſit diuiſim per capita?

Et mihi quidem, quamuis ægrotandi practicen potius teneam, quam theoriam medendi: primum omnes hæ pecudes vlceroſæ, oculorum, & capitis horribili vitio infectæ, perditæque videntur. Siquidem res obiectas alij conduplicatas, mutilatas alij, nonnulli maculoſas, quidam inuerſas, aliqui auerſas, omnes enim verò peruerſas & obliquas & corruptas vident. Nimirum pars eorum tres naturas in Deo, & perſonas quatuor cernut, cum vna illa ſit, hæ verò ternarium nnmerum expleant: Alij verò duo tantuum Sacramenta videre ſe dicunt in Chriſtiana Republica, cum ſeptem in confeſſo fuerint à

ſæculis.

ſæculis Apoſtolicis: liberum arbitrium in tanta vniuſcuiuſque experientia libertatis non perſpiciunt: In operibus honeſtis, & ad amuſſim virtutis exactis turpitudinẽ & contagionem agnoſcunt: hominem è Chriſti lauacro purum, ac nitidum, vt ſordidum menſtruatæ mulieris linteum auerſantur: In ipſis Codicibus authore Deo ad fidem conſcriptis, & elimatis, non diuinas illi ſententias legunt; ſed dementias planè diabolicas intelligunt: ita non niſi ſpectra fallacia pro luminibus veritatis intuentur.

Huius internecinæ peſtis cauſam peritiores in arte, reuocant ad aſcenſum vaporum, quos ambitio, & ſuperbæ mentis expiratio ſuperiora petens attollit in caput, Vt enim eſt in oraculis Auguſtini, Diuerſis locis diuerſæ ſunt hæreſes, ſed vna mater ſuperbia omnes genuit. Quid igitur mirum, ſi morbi violentia peruadente Caput, deliria fluctuant, graſſatur inſania, debaccatur furor? Hoc inualetudinis genere quantum valeant ſupra veteres Thamyras, ac Marſyas, noſtrates hi furiata mente Chorebi, cognoſcere in oculis eſt, imò vero in auribus.

Audite enim eorum pronuntiata, ac gnomas. Ego Rex, ego Cæſar, ego Papa, nullus mihi præferri poteſt in terris, ita clamitat Baldaſſar Pacimerus acclamantibus permultis ex eodem cæno ranunculis aduerſus omnes Principes, ac Magiſtratus.

Sed

Sed de Populo & Republica auſcultate verba Kempitij. Multitudo, inquit, fidelium in terris degentium non eſt quid viſibile. Videte quam Cæcus hic eſt; nam quam eſſet infidus, iſthuc noueramus antea. Quoniam verò de ignotis, quæ ſub aſpectum non cadunt incidit ſermo, non auditis, quam ſonorè Confeſſioniſtæ rigidi ringunt in virtutis humanæ præconijs. Virtutum, inquiunt, actiones, fæditates ſunt, ac mera vitia peſtem animis afferentia. Quod ſi quæratur; quis huius peſtis, ac morbi curator ac liberator medicus ſuperſit. Reſpondet quidam Georgius. Ego ſum Dauid Tertius, verus Chriſtus, dilectus Dei filius, promiſſus Patriarchis. Ita ſonat Dauidis Georgij clamor quem barrytum ne gygas quidem Golias Dauidis æmulus, elephantina illa ſua proboſcide ediddiſſet. Minus gloriosè de Caluino ſuo eius Canicula, & putidus Encomiaſtes Theodorus Beza. Ioannes Caluinus, inquit, melius Apoſtolis, ipſis intellexit & explicauit Scripturæ ſacræ ſenſum genuinum, tam Sacrilegè, ac furiosè genuinum frangit in petra, & lapidibus, quibus Eccleſiæ, fundamenta conſiſtunt.

Sed vſque adeò de Cælo, ac terris verba teruntur, nihil de Dite, atque orco audiemus inter tot crocitantes Erebi cornices, & coruos? Accipite. Exclamant enim Sectarij nuncupati meritò Dæmoniaci. Obediendum eſt Diabolo. Diabo-

lus eſt ſaluandus, Diabolus eſt donator ſalutis. Nuncupent ergo religioſæ obedientiæ votum ſuo illi Antiſtiti omnium contumacium; nos vulgus profanum erimus: Ament ſalutem illam, ſed ſine Riuali, mauelim ægrotare, quam in eorum ſalute ſanior eſſe: habeant denique ſibi donarium cum donante. Donatio enim Diaboli, mortis quidem cauſa donatio eſt, ſed qua qui donati ſunt, moriantur ipſi.

A quo enim tandem Aeſculapio; vel Apolline ſperare ſanitatem, aut vitam poterunt hæc quatriduana Cadauera? Ecquis veſtrum audiens hos lymphaticos Cymbaliſtas, & tympanotribas Cybeleios, non iuret illos nedum ſtultos & improbos, ſed vt deméntes & furioſos addicendos eſſe rationibus neceſſarijs, & ad Columnæ forum catena, & fuſtibus cum reliquis mente captis edomandos, quod non ſolum animorũ ægritudine, ſed ægrotatione paulatim corporum, exulceratæ, ſcilicet phantaſiæ phrenitide vera laborét cum præſertim funeſtiſſima huius quinti agminis pompa, non illa mentium labem, ſed lucem corporum per confertam turbam peſtilenti contagione vulgatam, medicoſque implorantem præſeferat. Et merito quidem. Si enim ſub tempus veterum ludorum in Græcia, propter exlegem, & liberam eius anni in omni viuendi genere licentiam, morbis quam pluri-

mis

mis, & grauiſſimis vexatos fuiſſe populos hiſtoriæ tradiderunt; Mirum non eſt tam multiplici ægrotatione corrumpi corruptelas has animorum & corporum. Siquidem eorum abnormis viuendi ratio, inſolenti effrænatarum cupiditatum ludo; & luxu perdita nouam quamdam Chriſtianæ fidei libertatem, hoc eſt, impotentem, atque indomitam viuendi ex libidine impunitatem induxit: abolitoque iure, quod eſt nobis commune cum belluis, naturæ ipſius elementa diſſoluit, apertis ad mortem vijs longe pluribus & amplioribus. Et quoniam belluis, quam hominibus propiores ſunt, ne tantum malum pace ſolum, & inter domeſticos, Ciueſque proſerperet, ſeminà etiam bellorum in agris, & ſaltibus ferarum ſparſerunt, ex quibus ferina coniuratio ruſticorum aduerſus optimates, ac principes armata præpoſtere ligonibus, falcibus, & bipaliis, turbas, & rixas, vulnera, cædes, incendia, excidia, bonorum omnium ſolitudinem meſſuerunt. An non videtis in Campis ad trecenta millia Satyrorum agreſtium lethaliter vulnerata? Si quis è tãto numero nondũ extinctus fuerit, quo remedio conualeſcet? vno ſcilicet medicamento carnificis; ità perduellionis Reĩ morte atrociſſima digni ſunt omnes. Quid autẽ ille cætus lixarũ admouẽtium cum dolore manus ad mentum lacunoſum, & vacuum? ſentio iam iam ego, &

vobis,

vobis opinor,ſubolet.SocordesHuſſitę sũt, quibus dentes labefactati ex Ceſareæ Obſidionis incommodis, ceciderunt. Miſeros profectò Canes; ac felices nos: dentibus enim prolapſis, nihil noſtrorum oſſium poſthac erodere poterunt hi Moloſſi.

At at, alius ille prædo Caninus, qui nec radit, nec ringit, ſed ſuſpirat, & angitur quis eſt! inter fratrum alternos furores aſe concitatos cum morte confligit. Zuinglius eſt. Sed morietur libens, niſi fallor: nam mortem amat: non enim foras illam extrudit, ſed domum ſuam aduocat, neque hoſtibus eam aut alienis,ſed domeſticis, & fratribus ipſis inferre pro uirili parte ſategit.

Verum huc aliquis, quæſo, veſtrum ex Aeſculapij familia medicus primarum partium præſto ſit, vt ægro ſupplicanti ſatisfaciat; ægrotus enim eſt vrbanioris notæ, medicoſque immiſſo etiam per calliopicos, & philomuſos epigrammate ir[illegible] quem etiam, vt delicijs innutritum à puero, lectica defert octophorus; pergulana cancellis eburneis, ſtrata culcitris leporino pilo farctis, & carbaſeis velis intenta. Huic enim verò non tam cecidere dentes, quam pili omnes defluxerunt è capite. Ouum torno perpolitum caput eius eſſe iuraueris, ita non bellum, ſed glabellum eſt. Ex Othonis Auguſti laſciuientis ouo pullus excluſus videtur, indi-

get enim galericulo, vt deforme caluitiũ ſicut ille velabat, obnubat. Sed contra. Neceſſe fuit, vt caluam caluentem oſtenderet. Caluini enim paraſitus eſt: caluus eſſe debuit, vt non ſolum ad vnguem, ſed ad pilum vſque aſſentator Caluiniani etiã nominis eſſet hic Gnato. Gnato autem! nimis abiectam, & humilem Theodoro Bezæ perſonam, & partes imponimus in hoc dramate; neque enim actor ſolum, ſed author eſt fabellarum, & pro Deo fabullo habitus quondam fuit; tam benè paruulos fari docuit per fas& nefas, fanda, atque nefanda: paruulus enim & ipſe fuerat anſerculus, & columbulus Apollinis, pipilator laſciuiarum: mox poeta ne fuerit, an poetria, non conſtat, ita effęminatus poeſim primam tractauit: ſed ſumpta virili toga, quam pro voluptatibus ſæpius etiam exuebat, cecinit quidem audientibus muſis, ſaltauitque cum Gratijs, non tamen ad lyram Apollinis, ſed ad tubam floralium Matronarum: donec de florata honeſti nominis fama, & gloria, correptus eſt hac inualetudine planè deſperatus à medicis: ſed vnã, niſi fallor, ſibi ſecat ſpem in neſcio quo de noſtris Medicis; ſi licet ariolari, Hieronymum fracaſtorium implorat; hic enim vtraque Phębi & medentis, & Canentis laude præſtabilis, pręter regulas medicas, Carmen etiam egregium modulatus eſt aduerſus morbũ, cuius nomen quidem non audiuimus;

audi-

audiuimus autem de cognomine, ſiue potius de patria impenſius diſputari: adeo nobilis, ac præclarus morbus hic eſt: cur enim illuſtris non ſit, qui originem traxit è luſtris! Sed Hieronymus ſi poeticam tenet, reuocabit gradum à cura; bene perdoctus eſt ex Homero Latino, & Marone græco, quid ſit ſubire Syrenum ſcopulos.

Semper difficiles, multorumque oſſibus albos.

Si vero veram callet medicinam: aduerſus iſtum languidum irrediuiuum, inueniet Carmen Salernitanum. In gratiam inquiet, *Bezana fortis non eſt medicamen in hortis*; tenet enim Aphoriſmus ab Authore omnis humanæ ſanitatis, per Vatum antiqua oracula, prolatus. Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini.

Verum Aduerſarij etiam in nomine Diaboli, vt paſſim loquuntur, mederi ſe ſuis morbis gloriantur, ita magicis etiam Sacris execrandi ſunt. In præſentia tamen alio medicorum, & medicamentorum genere tam feliciter vtuntur, vt Hyppocrates, & Galenus deliri ſenes ad eorum Sapientiam videri poſſint. Inueniſſe enim videntur Pancreſtum illud, vniuerſæ Medicinæ votis exoptatum, quod non Iouis digitum, aut Chriſti manum ſed

lapidem

lapidem Philoſophicum Medicorum di-
xeris, vnicam, inquam, in omnia valetu-
dinis incommoda Medicinam.

Videre ſiquidem hic eſt viros æuo gran-
des, & Sapientiæ ſtudio per famam clara-
tos, palliolatim incedere, circitores, cum
pixide medica ſub axillis, tum adoleſ-
cétes etiam, pueroſque bullatos pariter, &
pullatos, quia ex omni famulitio, ac ſer-
uitio non modo libertos, ac vernas, ſed
Syros: & Dauos, & Myſorum vltimos: imò
& Matronas fumoſis imaginibus elucentes,
& ſtolatas iuuenes, ſiue potius phaleratas
iuuencas, adde pannoſas vetulas, & pan-
norum lotrices, purgatriceſque ſordium
ancillares quiſquilias, quæ omnes ex ar-
bitratu, & ſine ordine vllo ad lectulos
ægrotantium pedem, ac manum admo-
uent interius. Neque tamen arteriarum
momenta ſupremis digitis captant, neque
Symptomatum acceſſum, ac receſſum,
febrileque reſponſum reciprocantis æſtus
examinant, ſed vnctionis materiam vnam
planè, atque eamdem ſinguli afferunt diui-
ſui languentium ſingulorum, pro cunctis,
ac ſingulis morborum, ac membrorum
rationibus, frontes vngunt, ſuperungunt
capita, faciem præungunt, ceruicem in-
terungunt, obungunt humeros, & bra-
chia, pectora, ventreſque perungunt,
coungunt crura, & genua, pedes denique
antevnctis calcaneis ſubterungunt. Sed
quod admirationem exauget, non diuerſis
ele-

elementorum vnguentis emplaſtrum mulcipharmacum eleborauerunt pro diuerſis morborum modis; ſed oleum commune, ac minimo pretio venale depromunt, & ex obuijs officinarũ lecythis, ex lucernis, & ellycnijs, ex trullis & patellis, teſtulis, conchulis, & teſtaceis operimentis vncturam ſuam expediunt: ita ſine terapeutice, ſine chyrurgice, ſine pharmaceutice vniuerſitatem medicæ facultatis abſoluũt emplaſtricè, & vnctoriè, ſiuè potius diſſoluunt perſunctoriè, digni profectò, quorum morbis, ac meritis, non niſi arſenicum, & aconitum pro medicata ſorbitione traderetur.

Sed ſaperdæ medicaminum apud hoſtes noſtros periſtiſſimi; ſimili omnes ſententiarum & ſpira, & vinculo innodantur Ioanni Vvicleffio, Aeſculapij acutiſſimo ſerperaſtro. Interrogati enim ſuper extremo periculo Chriſtianorum ægrotantium; conſimili conſulto, ac reſponſo ad ſalutem corporum præſcripſerunt omnibus oleum ſimplex vulgare, pretij cuiuſque.

At enimuero inſtabat aliquis ex conſanguineis, aut amicis Aegroti, Aeger hic meus neque cute obriguit, neque calculoſis lateribus induruit, vt olei emollientis auxiliarem opem expoſtulet; largiori enim Sanguinis profluuio labilis lubricat iam iam in lethem. Reſponſum eſt. Olei ſimplicis lapſu lubrico perungatur, vt lethum,

thum, ac lethen euitet. Vrgebat hic alius: Oleum iſtud non niſi ad vngendam Cymbam Caroutis iuuabit ; ita meus nepos conclamatus à medicis, diſrupto abſceſſu lienis cum diarrhæa redditur Auis, & maioribus præteritis & ſupinis, Reſponſum eſt, maiori ſimplicis olei diſrupto vaſculo adiutus, retinebitur cum præſentibus, & futuris. Rurſus libello ſupplici petebat alius: Vno ictu tormenti bellici grauioris Pater meus afflictus ante fati diem, ſpiritum condemnatum effundit. Reſponſum eſt. Effundãtur olei ſimpllicis vnciæ ſex, vt terſeruetur indemnis. At non morte ſimplici, exclamabat alius frater meus fungitur: dolore ſiquidem præcordiorum impatibili, & angina ſtrangulante oppreſſus vitæ ſtipendijs, puncto temporis, expungetur. Reſponſum eſt. Plauſu manus oliuariæ molliter palpetur in ventre, ac faucibus, ne mortis cuſpide compungatur. Ita Valetudinis Præfecti in hoc agmine ex vnctura pollicentur ſanitatem, ita gregales inualidi pollinciunt perdentes operam multiplicem, & oleum ſimplex, ſimpliciani ſtolidiores Batto, & Polyphemo. Itaque hoc illud eſt, Auditores, quod demonſtrare nititur legionis huius Apparatus omnis, ac ratio. Sentitis quid de Sacramento Vnctionis extremæ ſentiant Aduerſarij, pronunciant enim ex corte Babys, & Syluani ſtabulo potius, quam

ex

ex cortina Apollinis, vnctionem olei Sacri nihil ad ſalutem animorum pertinere poſſe, neque vnquam ab Eccleſia niſi ad ſanitatem corporum vſurpatam fuiſſe, imò vt communem ſacris, ac profanis rebus vncturam, à cuiuſcumque ordinis, facultatis, ac ſexus hominibus ex arbitratu promiſcue adminiſtrari debere. Et quod extremam inſaniam aliquorum miniſtrorum Sanatæ peruulgat magis'; in ſanatione corporum nihil plus conferre aiunt hunc ritum, quam, quod innata virtus olei ſimplicis aduerſus morbos prę-ſtare naturaliter ſolet.

DE SACRAMENTO ORDINIS

Siue

Legio Sexta Antiſtitarum ſætentium.

VERVM plus habet non ſolum olei, ſed purpuriſſæ etiã ac ceruſſæ, legio iam ſexta, quæ per tẽpus adueniens, ex vmbraculis euocata ſpatiari videtur ad pompam, non ad pugnam agmen inſtituere. Quod genus hoc hominum ſit, quæue militandi ratio, proſpicio parum; non lacernæ aut chlamydis cinctu habiles de-

coro

 coro puluere ſordeſcunt ex laboribus bellicis, ſed ex auri gemmarumque pondere, ingentique ornamentorum ſupellectile ſudant in cyclade, tam celebri cultu & florida ornamentorum pompa vernantes, vt penſiles hortos Reginæ ſemiramidis circumferri putes: non inerrant phaleratis in equis honorarios ambitus, ſed armillatos catellos in pæſtana roſa nutritos, aureis redimiculis crepitantes ducunt ad pedes: capita verò faſtigiatis crinibus pro galeis, & galeris in galeritas aues efformata magnificè attollunt nimio ſui ſuſpectu, & admiratione tumentes. Formam hoſtilis exercitus teneo. Monſtra naturæ vocabat hæc Stagirita omniſcius, Comenſis autem ille omnifariam eruditus, animales menſtruales, ſed oris aurei Præſul Antiochenus vocitabat inexpugnabiles feras, ſerpentis primi familiares, viperas decorè veſtitas, terreſtria naufragia, tempeſtates familiarum, & funera mundi. Nimirum pro bellatorum agmine, fœminarum turbam, matronarum, inquam, & puellarum greges educunt; Neque tamen exiſtimetis velim adeſſe hic veterem chorum Muſarum, non enim Apollinem, non Mineruam comitantur ducem, ſed Liberum & Liberam, libertatemque Lutherariã ſoluta Zona ſequuntur, neque defuerunt ex hiſce nobilioribus, Matres familias à Muſis auerſæ adeo, vt ex conſilio atque exemplo lutheri-

ricæ

ricæ Dynaſtiæ, filios ſuos ingenuos, nec minus indole, quam genere inclytos, in macellis, tugurijſque tabernarijs in mapalijs, ac præſepibus ad lanioniam, cauponicam, & bubulcicam artem erudiri maluerunt, quam in Ludis litterarijs educari cum noſtris muſis ad virtutem, & gloriam. Ita ſuos, vt ſues, relictis frugibus, reuerti volebant ad glandes.

Sed non nemo veſtrum aduertens tam vrbanum aſſeclarum obſequium via decedentium, & caput acclinantium hiſce fæminis, vultu tam libero & collatato currere gradientibus, exiſtimabit cætum eſſe Veſtalium, non Virginum, neque deflectet prorſus à vero; Veſtales enim in eo ſunt, quod flagrum publicum ex lege Veſtalium meruerunt: æternum quippe ignem Sacroſancti Spiritus, hoc eſt, flagrantem Dei charitatem extingui penitus per ſummam ſocordiam paſſæ ſunt.

Sed quoniam patientiæ omnis impotentes videntur, videbuntur potius turbas Amazonum ferocientes imitari; eas dico, quæ deuicta nonnihil Aſia, & maiori Europæ noſtræ parte ſubacta, ingenti cum ſexus nobilioris dedecore olim imperitauerunt; ſentio enim non nuper, quã rem agant Aduerſarij, per ſummam ſtirpis virilis ignominiam, fæminas ad ſupremum profanæ, ac ſacræ rei, priuatæ, ac publicæ principatum graſſari volunt in viros; ſed vires amazonias bliteæ iſtæ

Pluto-

Plutonis quaſillariæ non habēt, nō ſecurim non peltā tractare norunt ineptæ pariter, & inermes: neque enim armaturam vllam reperies ab Apoſtoli Petri Collega lauda-tam. Veritate ſuccingi non poſſunt à Coſmetis ſuis, quia falſarij ſunt: Galeam verò ſalutis aſſumere, qui poſſunt, quam Satanas, malleus ille vniuerſæ Terræ, con. fregit, & contriuit omnem? Ipſe gladius Spiritus omni chalybe firmior (verum Dei Verbum eſſe debuerat) apud illas, ſcoria æris, ac ferri adulteratum eſt; ſcu-tum denique fidei, quod ſupereſſe vide-batur vnum, modis tam miſeris lacera-tum extenuauerunt, vt papyrus bibula, & ſchidium aridum aduerſus hoſtium ictus munimenta ſtabiliora futura ſint; Nimis igitur aperta, diſſimilique nota diſtin-guntur à fortiſſimis illis Threiſſis, cau-caſeiſque Leænis, hæc vaga pecora Cy-thereæ, inſequuta fætidos noui pecuarij duces barbatos; quamquam de luporum proſapia eas eſſe contendes, ita Cæde, ac ſanguine non nunquam delectantur: prop-terea ad ſimilitudinem potius accedunt lemniarum mulierum, quæ cruento faci-nore, omni maſcula ſtirpe deleta, fædaue-runt familias, fætore enim peſtilenti ni-mis inuiſæ, odioſæque viris, aſſiduo ne-glectu ludus, & iocus erant. Sed pro-fecto deterius hæ noſtræ redolent animę, ſordibus hircinis olidæ, habitante Capro ſub alas ad naſorum perniciem.

Quotacumque enim ex tot millibus reperietur, quę Como, ac Thalaſsione, poſthabito ad incorruptę Palladis, Virginiſque Dianæ ſtudia, mores, inſtitutũque ſe conferet? Vnamnę mihi dabis, quę ad lyram Ouidij canens.

Non quid hymen, quid Amor, quid ſint connubia curet? Imò vero cum Catullo cantabit ad veſperam.

Hymen ades, o Hymenea.
Heſperus è nobis, æquales, ſuſtulit vnam.

Quid vnam? ad vnam omnes; ita nullus ex viris ſibi ſatis eſt, ita vnaquęque ex fœminis, quantumuis virago ſeneſcat, adoleſcere Virgo non poteſt.

Scilicet in Bacchi ſolo, ac fundo ſumus, vbi non niſi hederę, viteſque ſoboleſcunt; quę quia ſe ſolis vigere nequeunt, perpetuis ad latus indigent fulcimentis.

Enimuerò celebrem illam Poetarum Carminibus inuiolatę Daphnidis ab Apolline fugam, turpiorem iniurioſo receſſu ancillę à Domina fugitiuę, reputant: itá ſe nonnullæ putant debere vulgari petentibus, ita paratum habent profanare pudorem, neque domi patiuntur Hyppolitum: Ioſephus autem ne in carcere quidem cuſtoditur tutus à pronubis, ita inter vinum & epulas, inter lampades, & tibias Hymenæi voluptatibus viciſſatim inexplebilibus onerantur.

Sed quoniam ad conſecrandam ſexus indignioris dignitatem, & gloriam contra iura, legeſque Sacratas, oneratæ ſacris fimbrijs, & laciniofis impluuijs, obſcurato etiam infulis, ac vittis cate, Haruſpicum Symmiſtarum ritu, ſpeciem pompæ ſolemnis exhibent in inceſſu: non ex theatro, celliſque Floræ pſaltrias profani corporis, & cythariſtias exilire putes; ſed ex antro Phæbi gradum promouere credas in ſupplicationem vetuſtiſſimas illas propheti-des Colophonias, lampuſias, & augurales Phænones, cum Bagoe, & Manto, reliquiſque vaticinis philocomasijs Apollinis, quin & Sybillas ipſas, & Amatas, & Damiatrices, cum Euandri Carmenta ad Epipompeuticum cohoneſtandum conueniſſe exiſtimabis.

Et ſanè ſi vetuſtorum temporum puellæ Pythone in ſe recepto, Phæbades effectæ fata foliacea per antrum ſpargere, & ſortilegos boatus edere conſueuerunt: quis è numero Phæbadum eximat recentiores has Materculas ſemiuirornm, dum Pythonem ſtygium, hoc eſt, ſpiritum illum Enthereium, omni antiquorum cacodæmone neqniorem tam ex alto concepe-runt!

Sed ſi pro veris Pythijs, & Sybillis haberi volunt, abeant ad repoſtas Vatis Cumeæ ſedes. vbi ſpecus Latè patentes mons Veſuuius euiſceratus à Vulcano

con-

concamerauit nuper nouis Pythoniſſis de ſuo: ibi quoniam camillæ, ac miniſtellæ ceremoniarum ſunt, agitent ſua ſacra Lurida, ſua ſancta nigerrima; ſtagnant enim, ea per loca, ſcelerati lacus, a quibus tollere, ac libare laticem purum, & accommodatum myſterijs Lutheralibus poterunt: poterunt etiam inter preces inhalari pro thure, ſuffitu ampliſſimo ex aromatibus puteolanis.

Sed quanta quanta eſt puteolani ſulphuris, aut aluminis, aut aquarum medicatarum poteſtas, nihil poterit illius nitoris & gratiæ in maculoſas iſtas extincti floris pædiſcas, & damas piaculares inducere; quo nitore diuinatrices, ac Sybillæ ueteres præſtiterunt. Ille ſiquidem virginitate; quæ laus humana eſt ex Angelicis laudibus, tranſgreſſæ gloriam humanorum corporum, eas Chriſti venturi, hoc eſt, corporandi dotes, ac decora per caliginem viſa prædicarunt, quæ ab his etiã poſt Euangelij ſolem tenebricoſis noctuis neque animaduertuntur ex cæcitate, & ex perſuaſione miſerrima pernegantur. Nimirum Bacchi, & Veneris conſectaria iſthæc ſunt, quibus ad famoſam Communitatem Platonicam deuenerunt, effectam ſuperinductis confuſaneæ turpitudini tenebris, planè plutonicam: Ita paulatim retrouertimur ad priſca illa tẽpora Ignorantiæ, quæ deſpexit Deus, cum omnis caro corruperat viam ſuam: ita Gygantum

ſæcula redordiri cæpit hæc ætas ; meritò vltima , quia fex temporum eſt : Cum enim noſtro primum æuo primores Eccleſiæ proceres, hoc eſt, præcipua familię Dei capita, profanis ſeſe nuptijs inquinauerunt, nonne ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum ? quid inde autem, niſi gygantea vitia ſtirpeſcere potuiſſe dicemus in liberis ?

Sed non amplius libet hic repetere ſemina ſtirpium, quorum venenatus fętor obſtringit ſileotio fauces, & eloquentiam omnem extinguit.

Illud vnum, quia eloquentiam inflammat ira præ cæteris, ſopiri non poteſt. In hoc ipſo fęminarum ordine, qui aduerſariorum ſextum agmen prę monſtrat, monſtrum habemus ſupra ſeptem mundi miracula omni Gygantæo furore, ac labore maius. Intendite mihi nunc acriter animum ad machinamentum illud ſupereminens phalanges omnes. Turrim enimvero videtis Babylonicam, quæ reparata ex lateribus Aquilonis, in Tribunalis amplıſsimi modum èxurgens, cuncta terrarum euerrere, radere, obterere nititur, vt Capitolinum, & Vaticanum verticem inundet tandem, ac ſuperuadat. Tam Vaſtam in ſublime molem duci fortaſſe creditis Elephantis Aſianis, & Africis: Credite potius, trahi à feris horrificis Oceano Virginio deſpumantè progeneratis. Humbnus enim ; ac Tameſis præ

teri-

ęteris viſu monſtrifico extimefacti, noſtris lacrymis ſanguine mixtis, fluctuant, neque tam vetuſta ſaxorum crepidine, quam ſacrilegę nouitatis formidine, atque horrore illorum littora obduruerunt.

Nam qui nouus Terrarum quaſſus immortalis Deus, iura tam ſocialia vetutiſſimę Religionis, hiatu tam immani, diſrupit? Num qui Cęſaris victoria iuncti, & Ioſephi Arimathęi Sacris inſtitutionibus comſociati, mira charitate per tot ſæcula, coaluimus, toto iterum Orbe diuidemur? Quę tanta per cęleſtes animos ira, tam torue in nos obliquant amicorum Syderum oculos?

Occidit heu Nautis Cynoſura, albo æquore tincta,
Nec niſi Lauorſum ingreditur fortuna ſub Arcton.

Arcturus enim Sydus illud baſilicum, quò ſe tam citò proripuit? non iam amplius ergo

Ille fidem. rectumque, & honeſtas euocat artes?

Infelix profectò Arturi occaſus, hora tot ęrumnarum natalis fuit, ſubiecta ei lucifero, qui manè quidem oriebatur, ſed Heſperugo ſtatim effectus cito in æternam mortem ſeſe, atque impios omnes coniecit. Hic, veteri illa ſua gloria-

 tione

tione tumidus. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſuper Aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ero ſimilis Altiſſimo s.* totius huius ventoſæ machinationis vtricnlatius, & agitator eſt. Nempe iſtius peſtilentis aſtri aura valida complentur occulti folles, qui per nubes, ac nebulas, inter procellas, ac tempeſtates rapiunt, & circumagunt altitonantem hanc ſacrilegę Tyrannidis apotheoſim.

Quam ſanè ſuperbiæ metam extremam, ſi vero nomine appellare volueris, vocabis cum Gręcis Pambaſiliam omnis iuris, & iniuriæ, omnis vſus & abuſus, mortis, ac naturæ dèſpoticum nefas, illam omniuolam, omnicarpam, omniuoram, omnituentem, omnipotentem Dominam, pendentem nihili priuata, & publica, turbantem ſacra profanis, honeſia atque inhoneſta ludentem nucibus, vel talis à prandio, exæquantem Principes ciuibus, ciues plebi, plebē mancipijs nullius laris, & capitis, æquiparantem omnibus omnia, ſed ſub ſe. Faſtum, inquam, illum, quem Græci Typum non male nominant, nos melius appellabimus Typhonem Monarchicum, omnis Hierarchiæ turbinem, gurgitem, vorticem, barathrum; ipſum habetis Dominationis Pantheon, Diuinitatis non iure donatum, ſed inſano Latrocinio infamatum, non raptorem, ſed rapinam ipſam libertatis, diuitiarum, honorum, vtilitatum, & bonorum denique

omnium

omnium peculatum ſordidum ; ſacrile-gum, barbarum & barbaris etiam perhor-rificum.

Siquidem intra hoc Pantheon nullus, alijs ſiuè minorum, ſiuè maiorum Gentium Diuis, aut honor, aut ordo, aut dignitas aut poſſeſſio eſt. Vnus Iupiter non modo fulmen ſibi ſuum habet, ſed Neptuno etiam Tridentem extorſit, Plutoni furcam bicornem abſtulit, marti haſtam & clypeum ademit, Caduceum mercurio, Phæbo lyram præſcripſit, Baccho thyrſum, clauam Herculi vi & fraudibus tandem eripuit. Non hic ergo vides Iouis omnia plena, ſed Iouem omnibus plenum eſſe.

Quid autem ego Iouem commentor ſeipſum tantummodo iuuantem ? Iuno hæc eſt, ex ipſo ſexu rapacior, inuidentior, aſtutior, impotentior, meticulioſior, vilior. Ex inceſto etiam Iuno eſt, ſi non Iouis ſoror, & Coniux, certè filia ſimul & pellex. Quamquam ſi quis diligentius tetrum caput monſtri huius deteſtabilis inſpiciat, non Iunonem fortaſsè conſpicabitur, ſed Ianum bifrontem, imò tricipitem putabit. Ita vir primum profanus attollitur, mox puer ineptus apparet, qui demum in fęminam ſpuriam, & falſiparentem degenerat ; Neque enim vltra progredi potuit ſacræ & profanæ poteſtatis indignitas dedecus & ruina.

Quod ſi Diabolus in Eua primum peccante

cante caput Eccleſiæ ſuę non niſi fæminam voluit;quis credat ad Deũ pertinere Synagogam illam,in qua ſacrorum omnium Caput vna mulier adoratur?Mulier,inquã,quæ cum primum ex Adami coſta in mundo extitit, ex alieno conſtitit ac proinde non ſua.Mulier,quæ non permittitur in ſolemni ſacrorum cætu ſermonem inſtituere cui non niſi velato capite orare ac loqui licet in templis. vt Orator gentium loquitur.

Sed nos nequiquam loquimur philoſophati diutius de muliere : cum hæc non de muliebri numero vnam ſe agnoſcat, ſed Deam è ſuperum ſummo genere ſupremam ſe faciat, & gerat.

Eccleſiæ ſiquidem latinas Kalendas ad Græcas amandare, hoc eſt, penitus abolere non dubitauit : probatæ ſanctitatis viros, ac fęminas de faſtis eraſit factitios vero ſuos Diuos, ac Diuas nugales affixit; parumque fuit, vt diem ſuum natalem, tanquam maxime omnium feſtum purpureis litteris exaratum in faſtos nefaſta contruderet, niſi etiam Deiparę matris natalitiam optimam lucem vna, & eadem opera, ſpoliatam celebri lętitia inter atratos dies reieciſſet. Atque hunc in modum expuncta numinis parente,filium ipſum Virginis inter aras dehoneſtare agreſſa, vetat in ſublime tolli ab Antiſtite Diuini corporis dapem, vetat Sanguinis incruentum libamen populis pręmonſtrari, an nè quis mortalium proſtratam eam, atque adorabun

bundam videret? credo potius, ne populum alteri, quam ſibi ſubſtratum cerneret ipſa: ſic cætera profana fecit, vt in ſe vnam omnia religionis munia, honoreſque ſacros inclinaret: idcirco paſſim altaria diripit, templa ſpoliat, tabulas, & ſigna compilat, Chriſti cultum ſimul cum omni eius patrimonio exugit, ac deuorat: quin & Sacramenta ipſa pro imperio abrogat, mutilat permutat, inſtituit; annon hoc theandricæ authoritatis facinus eſt? quod nemo hominum quiſquam patrare, ſiue quod idem eſt; conſecrare valeat, niſi fuerit ipſa diuinitate delibutus, & cõſecratus!

Vos hic igitur compello Caligulas, Claudios, Heliogabalos, aliosque decumanæ inſaniæ Cæſares, quos fætu ſubuentaneo ſtolida Temeritas excluſit Deos in terris. Nimis enimuerò, in Cælo Dearum vacuo, ſterili diuinitate exegiſtis vitam, vites vitiatæ, abſque malleolis & propagine, nullo ex vobis numine procreato. Profectò, ſi noſtram Cybelem parem conſortio, & imperio duxiſſetis in lectulos pauonios; ſtirpem vobis fundaſſet Deorum etiam bicornium, nec non Dearum anguicomantium, caudis, vnguibuſque præſtantem familiam ad hæc vſque ſæcula duraturam.

Sed fallimur noſtra Dea, quamuis apud ſe Sacerdotes aiat lupercos & ſalcis; ne cum Dijs quidem celebrare commercia voluiſſet, Virginalis caſtimoniæ tam effuſe, atque apertè ſtudioſa; vt ſepulcrales

lapisan

lapides. Virginitatem eius cubitalibus litteris teſtatam præſe ferant, nec immeritò, non enim prius, quam in ſepulcro incepit colere pudicitiam an quia ſecum omnis laſciuia extincta fuit!

Verum, ſi ambitione tanta ad virgineam gloriam graſſatur diuinipotens Heroina, nunquid Dianæ quoque venatricis nomen, & cultum affectat? Canes certè venaticos circa ſe plurimos habet, & retia, quibus non capreas & lepuſculos captat, ſed caprilia, & leporaria, ſed fundorum prouentus opimos, & hæreditates ingentes cum omni pecunia ſacra & profana, priuata, publica deprædatur.

Mox prẹda capta, ſaginatiſque Molòſſis ſuis ad cultum funeſtum Dianæ Tauricæ ſibi exhibendum non allicit; ſed compellit Magiſtratus: neque pacificari ſe patitur extis minoribus, ex humano genere, & ingenuo ſanguine nobilès, integras, religioſas, Deo viuo dicatas Vittimas, immolari ſibi volebat, nec placabatur tamen, quamuis eas laniatas, diſcerptas, trucidatas, obtritas, excarnificatas, videret, renouata in Eccleſiam Chriſti ſponſam laniena barbara veterum Romanorum. Annon Diana inhoſpitalis Taurica mitis, & humana fuit ad hanc ſaltatricis filiam Herodiadem, quæ non vno Baptiſtæ Capite contenta eſt.

Hæc illa tamen eſt intaminata Virgo Diana, quæ voluptatis inſidias eludens fugit

git exultim in montes, & Syluas, cum choro metuente tangi. Imo verò quibus non tacta cupidinibus fuit? quemue non tetigit ex procerıbus circæa virga? Medijs in Vrbibus, in aula mollioris vitæ commodis refertiſſima, inter poetas diſcinctos ingenio, inter ſophiſtas eruditi luxus, inter euiratos muſicos, & virilis audaciæ Saltatriculas, mimos & mimas, ludios & ludias exoſſatas, & totriles, toto corpore contorquendas inſpiram ludit, illudens omnibus bonis. Puberes nobiles vultu, non maiorıbus, ructantes amomum & ſtacte, nec bene olentes tamen; adoleſcentuli mento primum herbeſcente floridi, ac vernantes, & in omnē ludum, licentiamque corrupti, heroes apud illam ſunt. Hi ſunt Achilles, & Hectores. Si quis ex pueris non Antinoi vultum exprimeret, non Earini Cæſariem præ ſe ferret; enimuerò perpetuo oculorum eius exilio mulctabatur. Virtutem omnem ingenuam lutum informe putabat, niſi Adonis, aut Ganymedis lineamentis deſcriptam, & coloratam in cuti videret. Frontis verecundia, grauitas inceſſus, & moratus è ſchola modeſtiæ pudor, ſcelus naturæ, Crimen ætatis erat; quos enim in delitijs niſi delicatos ligurinos habuit? quos in amoribus tulit, niſi Parides amorabundos? Non reiecit tot procos Penelope, quot noſtra hæc (vt ſibi videbatur) Helena riuales allectabat; nouo quotidie oleo nitoris, & gra-

tiæ tædam mali cupidinis inungens, non domeſticis, & inquilinis modo, ſed etiã peregrinis, & aduenis amoribus diſperſam operam locans, & nare circumagens tot nobiles aduentores inter ſpes, & ſpeculas Hymenæi.

At hoc, inquies, fortunæ flagitium fuit, quæ fortuito planè occurſu gregem illum tam exoticum conuocauit ad prædam; Domina enim nec euocabat quempiam, & auocabat ſe nuptiarum expers, fronte corrugata, & obliquis, trucibuſque oculis ſemper intuita Cythéream. Nugæ cum logis; quò enim ſpectabat tantus ille ap- apparatus lautitiæ, ac munditiæ, quo tam varia, & conquiſita vnguenta, pigmenta & medicamina cum gemmis & floſculis comatorijs, alijque delicijs, quæ viam faciunt ituris ad voluptatem? quo ſpectabat tam acurato ordine, tam exquiſito momento diſpẽſare membratim mundum omnem muliebrem? quo tam blandos offerre vultus? quo cenſura illa tam aſpera ſtatum omnem, ac motum corporis ad Venuſtatis amuſſim exigens, tanta palæſtra? vt pedes argutis in ſoleis non ſine metro texturam inceſſus diſponerent, tanquam in carmine? vt oculi vulnera lethalia inferrent, cum ſpe ſalutis, & gaudij! vt verba intorta flexiloque, oracula Cupidinis ederent magis ambigua vetuſtis Apollineis? vt vel ipſæ blanditiæ aculeos in animis relinquerent, & quemadmodum aiebat ille,

vt

vt detinerent Viſum in melle, ſed inter Crabrones, & veſpas! vt gemmæ certis capitis fixæ ſedibus tanquam ſtellæ inerrantes, inter errones Capillos, nouum Cælum Veneris illuminarent. Sed nolo de crinalis elegantiæ ambitione diſſerere, neque enim vacat in præſentia ſtatuere, an Diana, hæc ſui retinens, & parca, inſtar Berecynthiæ turrita etiam fuerit Caſtellis comantibus, ex alieno tamen territorio, an ſcilicet pro ingenito capillamento, corimbium habuerit tralatitio decore flauicomum, ita diſpoſitum, vt capillorum pars contra ingenium flexa circinatis inuolucris captiua rigeſceret; partim verò Crinium, quia libertate donati, fugitiui eſſent ex Zephiro.

Non enim oculatos fugit, qualem fucum faceret ea Aula ſuis, & exteris; gloriata ſæpius, omnes Europæ Principes eſca per caliginem oſtenſa, circumductos argumentum ſibi fuiſſe mimicum, & quotidianum fabulæ connubialis.

Sed de vultu eius fabulari non poſſumus. Nemo enim eſt, qui illam de facie nouerit quid ergo dicemus? ſine dubio facies iſthæc mala eſt, quia ſemper latuit; non eſt profecto vultus ille, quem vides, ſiuè potius quem odoraris, ſed cretaceum quoddam ſimulacrum vnguentis cum ceruſſa, & ſtibio maceratum, & ſolidum, ne mima perſonata non ſit.

At ſpeculum, dicet hic aliquis; qui re-

ſtat

ſtat vnicus veritatis incorruptus conſiliarius in curia Pulchritudinis, detracto ſcenali vnguentato Schemate, renunciare nobis poterit, quod faciei hoc eſſet. Nihil profectò minus. Nam vt curioſi ſpeculatores delicatarum fraudium, vera celebrauerunt in vulgus, ipſum etiam ſpeculum deſpoliatum ſpeculari natura, Paraſiti perſonam ſuſcipiens, aſſentari didicerat oculis dominantium. Eo enim artis miraculo fabre factum fuiſſe fertur, ſiue ſpeculum illud ex opticis fuerit, ſiue ſpectrũ ex Magis, vt vitia regalis vultus ingeſta frangeret, & exquiſitius in gratiam contrariam emendata, atque illuſtrata lineamenta regereret: Sic genas porca latiore ſulcatas ad æquabile planum ſubactas, ſic deformes rictus ad viuidæ iuuentutis amenum floſculum, riſumque traductos, repercuſſu adulante, monſtrabat.

Talibus adiuta monſtris fæmina monſtruoſior iuueneſcebat in dies, non ætate, ac viribus, ſed laſciuia & voluptate: ita ſe ipſa extra ſeipſam fruebatur inaniter, Narciſſo puſione dementior, capta ſimul, & capturæ intenta, nec minus decepta, quam decipiens, imò deſpiciens vniuerſos. Si quis enim amantium irretitorum, per longos circuitus & ambages erotici labyrinthi deductus, ad nuptias anhelaſſet è proximo: Enim vero, vt Acteonem temerarium, laniatu planè canino vexatum ipſa Canis vnica Principum (vt ferebatur) exter-

terminabat è finibus.

Atque hoc tandem illud eſt, in quo ſe magnificè iactat nouella hæc Dea Caſtimoniæ, Dianam & Mineruam faſtidiens; quod nimirum corpore ſecubat: hoc illa ſolidum virginalis gloriæ corpus reputat, reliqua puncta ſunt, & minima, de quibus non curat, qui Prætor eſt, tanto minùs Princeps, aut Rex.

℟ Sed mala mens, malus animus. Nunquid homines corporibus tantummodo conſtant non mentibus? neque in animis virtutes veræ ſedent, ſed ex carne atque oſſibus quanta quanta eſt probitas humana conflatur? Nam ſi corporis intima, ſarcta tecta fuerint; nihil tamen interius eſt mente, quæ cum turpitudine morbida ſordet, fruſtra cutim illuſtrem & ſanam prætexas. Quis vnquam morum cenſor, aut Magiſter, aut Iudex, exiſtimauit vniuerſam pudicitię cauſam in vno ſecubitu contineri? Quaſi non trahatur ex vipera venenum, & mors, niſi in eadem culcitra collocetur. Integra cauſa bonum virtutis conſtituit; Nam, ſi oculus tantummodo tuus infuſcatus fuerit, habes totum corpus in tenebris. Neque vllus aliquando medicus, Cardiacum, aut Calculoſum pro ſano duxit, quod calcaneo, aut auricula non doleret. Sed neque florem vigere diutius dixeris, ſi ſtirpem vitiatam eſſe deprehenderis.

Accedit huc, quod florem illum qua-

lem;

lemcumque corporatæ gloriæ, quo tantopere ſeſe effert, propter laram formæ cum pudicitia mixturam, quarta hæc inter furias Dea, alia grauioris incontinentiæ peruerſitas deflorabat. Rabies, inquam regnandi, chalamum remouet, ne ſceptrum communicet: hæc non ſinit herbeſcentes cupiditates ſupercreſcere, ſed voluptates ipſa in adoleſcentia, feſtinato ſenio, macerat, & ſiquid florere permiſerit, fructum præfocat, miro conflictu non improbitatis, cum probitate, quæ nulla hic erat, ſed libidine, vincente nequiſſima. Imò quia humanam excedit fidem, quod inter tot, ac tam quæſita irritamenta voluptatis, intemperantiſſima fæmina temperauerit ſibi, neque matriſſauerit filia ſic genita: Certior nobis datur huius continentiæ à natura cauſa. Seiugabat illam arcta neceſſitas, quam calliditate aulica trahens ad gloriam, ſpecioſo voluntariæ virginitatis vocabulo velabat, mentita vitium corporis in virtute mentis non vera.

Sed vero tandem vultu apparuit non Dianæ ſoror, ſed Dionis collactea noſtra hæc Empuſa Cupidinis nuptialibus præſtigijs fallens orbem terrarum, quamquam & mutata facie nos iterum fallet, niſi caueamus Maluſſe, ita Themidis, & Aſtreæ ſimulationem etiam induere nouit libra enim, & gladius Aſtreæ notiſſima inſignia præſto illi ſunt; Et gladium quidem præferri ſibi putat non ſolum, vt papauerum

vertues.

vertices ex Tarquinij mandato decutiat, ſed vt omne planè Republicæ Corpus feriat, & ipſum caput Religionis amputet; quæ crudelis impietas, vt extra omnem libidinis aleam vndequaque diſcurrat; pro ſcuto, & munimento, ipſam Iuſtitiæ ſtateram præ ſe fert, hoc eſt, politicum obtentum Iuſtitiæ. In qua ſanè libra Iuſtitiæ, quia virtus, & Innocentia expertes, & vacuæ grauitate ſcelerum lancem ſuam ſemper attollunt, nec libramentum vllum cum ſupplicio, & pæna facere poſſunt: adhibito per vim, & inſidias quamplurium falſorum teſtium pondere tam miſere deprimuntur, vt exæquatis virtutum, & vitiorum in ſpeciem rationibus, ſumma licentia in omne genus hominum ſæuiatur.

Quin etiam ſpeculum, Prudentie nota, præfertur huic ſpectro tartareæ dominationis. Non quale Themidi Anteuorta, & Poſtuorta deferebat, vt in eo præterita noſcens, futura præceperit, ſed in quo præteritorum immemor, nec futura proſpiciens, præſentia ſolum regnandi Commoda curioſitate eruditiſſima proſequatur. Ideo vigilantiam publicam prætexens, inſpectionem regni totius inſtituit, inaudito genere Sacramenti Ciues obſtringens, vt nimirum per omnia humana & diuina iurarent, eam ſine vlla thori labe delapſam in terras, & ex formula vtriuſque iuris conceptam à Parentibus, & natam eſſe. Et ſanè Populus cum Proceribus, & magiſtra-

giſtratibus fidem ſuam teſtans, Conceptum Dominæ ſaluo iure ſequutum deierat, ſed non interrogata Matre, quæ vel inter furiarum verbera, & Cruciatus Inferorum peſſimè habita, ſubridere videbatur.

Sed lacrymas hic autem tenere quis poſſit, dum luctuoſiſſimam alteram horrendi Carminis editionem audit deteſtabilè enim arrogantiâ Regis Aſſyrij ſibi dedicantis auream ſtatuam inſtaurat, dum rerum humanarum ac diuinarum vnam ſe infinito cum imperio Dominatricem, & quaſi Phænicem agnoſci, atque adorari iubet. At quo tandem iure ferox hæc, auerſa Themide, legiſlatrix deteſtabiles cæremonias innocentum ſanguine ſancit? quibus authoribus, & Conſiliarijs noua legiſlatio condita eſt? Iure parricidali religionis paternæ, iniuria ſcilicet per omnes ferme hæreſes debaccata, e quibus etiam errorum diſciplinis eruditos accepit hæc ſeſqui domina conſultores, & Aſſeclas, Canes, inquam. Catenarios, hoc eſt, vni eius ſentẽtiæ, ac libidini ſẽper alligatos. Etenim ſiquem hominem putaſſet neminem, hunc enimuero in conſilium adhibebat, vt tanquam Dedali ſtatua verſatilis, tracto machinali fune, caput inclinaret ad ſingula dicta Dominæ pronunciantis. Sed neque deſuerunt Aulitechniæ magiſtri Sophiſtici, *à ſerpentino genere Cacilij, quos in arte latrocinandi, expilandi, laniandi non fuiſſe*

cæcos

rapaces teſtatur vniuerſa Reſpublica artificio ineuitabili excoriata, euiſcerata, excarnificata quos coruos, & vltures potius appellaueris, niſi quod aues iſtæ rapaces, reperta in campis animalium iam interfectorum corpora carpunt, ac deuorant: hi verò carnem alieno ſcelere emortuam non expectant, ſed cadauera ipſa ſibi parant homicidijs. Quid ego autem homicidia memorem? ſtragibus oppidorum, cladibus vrbium, Prouinciarum peſtilentijs plateam ſternunt nouo Coloſſo Tyrannicæ Impietatis, & hyperdeſpoticæ ſatrapiæ.

Neque vero tres tantum pueros in camino ignis numerare hic eſt, qui Deos iſtos non adorant, & vineam Iezabelis non colunt ſed ex omni genere nobilitatis, Dignitatis, ſapientię, ac virtutis lectiſſimi quique mentiri tam ſacrilege non ſuſtinét, & ſupercurrentem impietatis audaciam liberis Sermonibus, & publicis diſputationibus, & ſcriptis in vulgus editis, ex omni literarum genere, adorti, obiectu demum trucidatorum in Christi gratiam, corporum aggerem, & ripas veritati ſolidauerunt, ne præcipitatus errorum impetus latius redundaret.

Sed iam redundat latius, & inſuauius Oratio noſtra, dum in tam ampla, & tam illuſtribus prædonibus referta quadriga, Salaconiæ laſciuientis in Deum, vnam hãc mytratam lauernionum Deam inſidentem latè concelebrat: totius vero ſextæ legionis.

nìs ordinem, & conſilium non niſi parua ſignificatione, ac veluti per nebulam, ac nubem proponit: cum præſertim omnia in aperto, ac propatulo lumine forent, ſi vno, ac vero nomine exponeretur, quænam tandem ſit hæc Trimalca Iouem faſtidiens, inſulatarum poteſtatum harpax, hæc Bellona Sanguinis religionibus conſecrati tam auida, nunquam intepeſcente ſæuitia, quę Cælum eſſe non credit, & tamen in Cęlo haberi ſe iubet; dum non contenta lauro, ac diademate Regum timendorum in proprios greges, affectat grandi ſupercilio, & capite quaſſante concutere.

Et Mythram, & Cydaram, formidatamque Thiarum.
Tergeminam, Cælo, Terris, Ereboque potentem.

Et nos quidem ex remoto reſpicientes exaggeratam hanc molem Babelis, ac veluti abruptam rupem leſtrigonum, videre putabimus, reſidentem in vertice Chimeram, hoc eſt Capram libidine, ſæuitia leęnam, verſutię calliditate ſerpentem.
Sed ſi curſu interiore annauigemus hũc ſcopulum; apparebit hoc monſtrum in modum Charybdis, ac Scyllę, ſonantibus ex alto vorticibus, vt abſorbeat, ac laceret quidquid bonorum defert Salomonica illa nauis Inſtitoris frumentariam annonã

è

è Cælo ipſo comportans. Quoniam verò humanę figurę lineamenta expreſſius refert hęc bellua, Coloſſus Babylonicus videri poterit; Sed caput eius auri prætium non habet; Cucurbita enim eſt ſale inſipido plena, neque pectus ex argento, ſed cor ipſum è ſaxo ſilice conflatum gerit, ita flecti ad miſericordiam, & pietatem non poteſt: Pedes quidem ex argilla fictos extulit è domo Dei, ſine tibijs tamen ferreis, tota enim limoſa eſt, Lutario, inquam, ex cœno, ſed multiplici ac diſcolori ſectarum ſaburra intrito, & ſubacto ad faciliorem lapſum, quo publicus virtutum ac bonorum omnium caſus conſequutus eſt. Sed quid fruſtra conſequi nitimur curioſa per ambages inquiſitione, cum ipſi aulicorum, libertinorum, ſeruorum & ancillarum greges comitantes hanc baſilicam ancillam Plutonis, clariſſimè nobis exponant, quęnam illa ſit? Auditis? ad ſonitum tubæ, fiſtulę, cytharę, & vniuerſi generis Muſicorum, balatrones petulantiſſimi, ad hanc ſtatuam medio confuſionis Babylone ſtatutam, mimico ſaltu tripudiant, & barbarè non minus loquentes, quam ludentes aduerſus omnes clericorum ordines clamitant. Hęc eſt Diacona, & ſubdiacona, Epiſcopa, ſuperantiſtita Patriarchiſſa, non ſeruorum Dei ſerua, ſed Biſdomina dominorum dominantium, Pontificię benedictionis ſeſquiapoſtolica maledictio, anathematum anatomia

&

& animaduerſio, Antipapiſtarum in propria Diocœſi, vnicam, tripotens, triregnans & triſulminans Archipapiſſa.

Habetis iam, Auditores, ex hoc Tragediæ infelici commo, exitum fabulę vniuerſę. Intelligitis quibus ex cauſis tam luctuoſa ſacrorum omnium Cataſtrophe ſequuta ſit. Nimirum diſſipato Eccleſiaſtici ordinis Sacramento Aduerſarij noſtri ſacerdotium, & omnem tæniatam infulis, & initiatam diuinitus poteſtatem non ſolum profano generi, verum etiam ſeſquiori ſexui per ſummum dedecus Chriſtiani nominis tribuerunt.

DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Siue

Vltima legio Iudæorum, Turcarum, Maurorum, Caſrorum Lapitharum, Mænadum, & Mimallonidum.

SEd quantam, & quam multiplicem, & quam impotentem animi poteſtatem in corpora vtrique ſexui tribuerunt impotentiſſimi libidinnm Capri Sectarij, dicere conſequa nunc eſſet ex ordine certo nar-

barratio; quę poſtremam legionem ſignis effractis, hoc eſt, omni ratione Sacramentorum in matrimonijs euerſa, licenter errabundam notaret. Sed earum alij polygamiam priuatam, alij glutinationem publice confuſaneam, alij ſingularios occurſus, ſed vagos & incertæ prolis, & fortuitæ educationis admitunt, laudant, indicunt, imperant, nequiſſimi non ſolum bipedum, ſed quadrupedum etiam, imò & magis bruti natura ſtirpium, quæ certis legibus, & ſtudijs molitur germina, fructus concoquit, elaborat ſemina eorũque omnium indolem promouet donec inſtituta perfeceerit.

Pro infectis igitur apud nos ſint, atque indicta prorſus abeant facta iſta nefaria, ne myſteria nycteleia tot ſenatus conſultis, ac legibns Romanorum veterum inhibita agitare iterum videamur.

Neque enim agendum eſſet de nuptijs, ſed de Bacchanalibus inceſtuoſis; quamquam nullum apud complures eorum contingit periculum inceſſus: cum promiſcua duorum quorumcumque in vna Carne cognatio omnis cognationum, & affinitatum gradus, ordineſque ſuſtulerit; neque vllus dicendi finis eſſet; eorum enim infinita cubilia. Satis nobis illud habemus gloriæ, dum palam fecerimus, poſtremo hoc in agmine fugitiuorum non præliari, aut militare ſub Chriſti ſignis Chriſtiani generis homines, ſed Luxuriari; & Luſtrari

ſtrari Apellas, & Turcas, Saracenos & Sofianos Perſas, quin & antiquos Bracmanos Mauros, Numidas, Thraces, Babylonios, adde fabuloſos Cyclopes, lapithas, Satyroſqne cum mænadibus, & Mimallonibus miſcentes connubia iure illo publico, quod natura docuit animalia, ſed bruta ſolum, neque profecto hæc omnia; tam turpiter in coniugio ius, & fas omne contritum deleuerunt.

Horum igitur impuratorum facinora, quoniam ſua turpitudine ſuper omnem eloquentiam excreuerunt & omnem pudorem exturbant, dictu, auditu, cogitatu etiam horrida; vt gratia linguæ, honor auribus, animis ſalus habeatur; neceſſe eſt noctes iſtas tenebris, ac tenebrionibus ſuis intactas relinquere.

Quin etiam pretium operę maius fuerit, excuſationem afferre aliquam, ſi forte in dèſcribendis alijs Aduerſariorum ordinibus, excurſio noſtræ Satyricæ orationis, dum ſalubonem inimicum radit, attingere viſa ſit ipſam crepidinem ſcurrilitatis contra quam, aut vitæ noſtræ ratio, aut ætatis grauitas, aut theologici muneris dignitas pateretur.

Huius ego purgationis iuſtitiam, quamquam multis rationibus probabilem reddere poſſim, volo tamen duobus tantum dictis contineri: Alterum fuit Conuicium inſipientis Lu-

theri blaterantis , Theologiam noſtram, cnm de Sacramentis agit, ludicram planè, atque illuſoriam eſſe. Alterum effatum illud Sapientiſſimi Salomonis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.

DI-

DIVVLGANDA NE SERMONIBVS, an occultanda ſilentio, Myſterijſque Sa-- pientia ſit.

Pro

Renouatione ſtudiorum, cùm explicaretur ea Quæſtio Theologica.

An
Verba neceſſario adhibenda ſint in Sacramentis.

ORATIO PRIMA.

In plures veluti declamationes diſtributa.

NOVVM, atque præpoſterum, ſecumque pugnans obire munus videmur. P. R. dum verba, & Sacramenta ſimul aptare nitimur in præſentia. Etenim Sacramen-

ti, ſiuè myſterij nomen ipſum non niſi ſacrum quoddam occultum communi vſu ſignificat: verborum autē vis omnis, atque opera in peruulgandis occultis rebus, ſenſibuſque conſiſtit. Sed vt Sacramentorum author Chriſtus eſt, Dei Sapientia parter, ac Deus; atque adeò Sacramenta eius, conſilia ſunt ſapientis, & myſteria Numinis; igitur neque ad veritatem, neque pro bono facimus, dum Sacramentis copulanda neceſſario verba, hoc eſt dum diuulganda conſulta Sapientis, dum interiora Dei ſacra quibuſcunque promiſcuè communicanda eſſe decerminus. Huius difficultatis anguſtijs depræhenſus dum mecum ipſe delibero cæteros Academiæ huius magiſtros illuſtres oratum ire ſuppetias in cauſa verborum, animaduerti ſingulos, & omnes quotquot in hac ingeniorum maxima naui ad gubernacula doctrinæ ſedemus, eodem prorſus hærere in ſcopulo, & in eiuſdem cauſæ diſcrimine, vt nimirum omnium ars, & induſtria in peruulgando verbis arcano aliquo ſapientiæ ſemper verſetur.

Quam enim ob cauſam literarium claſſicum de turri noſtra perſonuit? quid concionalibus hiſce alloqutionibus profitemur, niſi verbis apertiſſimis palàm facturos nos abditiſſima quæque mentis, & artis, naturæ, ac diuinitatis arcana? in exponendis emendata coagmentatione verborum occultis animi ſenſis vis grammatica

ticæ ſita eſt vniuerſa humaniores litteræ illa eadem ſecreta mentis eleganter ac nitide, Rhetoris verò etiã affluenter magnificeque diuulgãt. Quid eſt apud nos philoſophari? Quid Theologis propoſitum eſt? niſi latentes rerum omnium naturas dicẽdo, dictando, diſputando, examinando, hoc eſt verba ſemper faciendo, foras expromere, in officina ipſa verboſitatis ſumus, verba coquimus apud nos, verba alijs miniſtramus, recipimus verba, & verba reponimus, verba fortaſſe non damus, ſed ſæpiſſimè etiam perdimus.

Hæc incepta res vocalis nobis eſt cum Academiæ huius initijs, hæc remiſſa diebus, reuocatur quotannis in actum, vt vel ipſi Muſarum ſecreta prodamus, vel alios artem prodendi edoceamus. Ita Heliconis delubra ſuis lucis, & ſacrarum arborum vmbris nudamus, Apollinis cortinam effringimus, diloricamus Mineruæ tunicam eiuſque vulgato corpore proditores ſumus & Veſtæ penetralium euerſores, vt mirari non debeamus, ſi propijs canibus inſtar Actęonis, hoc eſt internis animi nunquam ſibi ſatisfacientis ærumnis angimur, quippè qui non Dianæ vnius nudum corpus ex inſidijs ſpeculamur, ſed muſarum omnium pectora, & conſilia introſpicimus, & in conſpectum cæteris damus.

Hiſce vel noſtris difficultatibus, vel alienis querimonijs, vt ne amplius vrgeamur omnes: controuerſiam illam communem,

Diuulganda ne ſermonibus , an occultanda ſilentio , & myſterijs ſapientia ſit, quia ab alijs ſuſcepta non eſt , & Sacramentorum nouæ legis naturam petit è proximo , verſare in animo mihi eſt, & in officio , cùm enim Theologi poſt omnes exercitus noſtri acies poſiti , & extremo tempore,ac loco ſeruati vicem Triariorum præſtemus , in omnem partem accurrere nos decet, quæ videatur inclinata, vel deſtituta.

Primùm igitur excipiamus eorum impetum, qui pro inuoluenda ſilentio, & ſecretorum tenebris ſapientia momenta rationum euoluunt: per ſingula enim ætatum ſtudia in dimicationem nobiſcum veniunt Aduerſarij quidam verborum , & aberrare in ipſis ianuis, nos , præpoſtero vſos conſilio autumant , dum artem loquendi aſſiduo Grammaticæ ſtudio pueros edocemus.

DE-

DECLAMATIO I.

Pueros non loquendi, ſed tacendi artem edocendos eſſe.

NIhil profectò & animis puerorum magis inane, atque impolitum, nihil magis imparatum ab omni inſtrumento doctrinæ: igitur eorum mentes occupare notionibus veritatis: rerumque nobilium formis conſignare, non ſonanti verborum ſtrepitu inaniter implere debemus, ne traditos nobis homines ad humanitatem inſtituendos, reſtituamus vacua rebus loquacitate picas, & pſittacos. Fruſtrà coges vrnas ad effluuiū, ſi nihil intus humoris antecœperint: immò ſi eloquendi facultas arti coquinariæ, vt indicauit Plato, perſimilis eſt, cur tam multum linguæ ſine ſale paramus, nihil cerebri cōdiētes priùs? de re quippe, quam quis non nouit, non poteſt non inſulſiſſimè loqui. inanem etiam herbarum luxuriem ſine meſſe videbit, qui frugum ſolida ſemina pro opportunitate non ſparſerit, quin & ſemina occultari in terris debent, vt generoſo ger-

mine pullulent; ſic rerum veritates animo ſilenter iucludendæ ſunt, vt pro dignitate erumpant in voces, nulla eſt tam ex temporalis fœcunditas, quæ ſine antegreſſo fœtu partum effundat, & cùm ſcientia ſpiritu non viuit animus, fruſtra de extrinſeco ſermonis, ſeu veſtimenti cultu laboras, niſi ſententiam mentis informem, atque indigeſtam veluti miſerum abortum aurata in clamyde proponere velis, aut phaleris exornare ligneum quadrupedem pro verò Bucephalo. Fluuius quamuis influentium aquarum acceſſu, ac ſtrepitu futurus ingens, dum tamen tantillus gliſcit è fonte, colluditque cum ſalebris, ac lapillis, nihil reſonantius agit, nihil ſtrepit grauius; imo dùm paruuli iacerit in littore Alcyonum pupuli, iacere vides abſque murmure conſtratum oceanum, & ſine fluctu ſopitum, omnis quippe natura dùm in puerperio eſt, & rudimentis infantiæ fugit ſtrepitum, & latebras quærit.

Sed & homini prouidit illa conſultius: dum nos ad loquendum non ſolùm imparatos procreat, ſed impeditiſſimos etiam ob carneam illam benè loquendi remoram quæ linguæ adnata ſuccreſcit, explanandæ voci contraria, ſeu ſilentium perpetuum homini vix nato præſcribat. Sed nos non expectata opportunitate loquendi, eam ſermonis alligaturam, anticipata ſtatim ſciſſione, rumpimus, impotenti cupidine garrulitatis. Non ità profectò Deus

qui

qui parentem humani generis Adamum non prius eloquendi arte donauit, quam in adultam ætatem prouectum omni ſcientiarum affluentia locupletaſſet: oportet igitur, vt informationum rerũ antecepiant à nobis pueri, non verborum ſonitu perſtrepant, vt ſi tanquam rudes & aſperos truncos dædolandos eos accepimus, non additamento ſuperuacaneo infarciamus, ſed detractione primùm reſecemus per ſilentium extantes ineptias, quas illa ætas ſupra cæteras quotidiana loquacitate profundit: hoc autem egregiè præſtamus, cum pro verbis res ipſas exponimus eorũ ſenſibus, ac mentibus hauriendas. Vt enim Cicadę, genus Beſtiolarum maximè obſtrepens, dum per matutinã cæli tranquilitatem infuſo viſceribus roſcido humore complentur, ſilentium impensè tenent; ita ſi notionum perſpicuorum ſcientia veluti rore primo puerorum animi perfundantur; admiratione rerum ipſi nouarum capti, in ſtuporem vertuntur, quo veluto claui infixa lingua moueri in verba non poſſunt.

Inſtitutio porrò taciturnitatis non modo ad rerum notitiam conducit, ſed ad morum eruditionem opportuna eſt, & neceſſaria, etenim quod omni ętate, præſertim verò ſenecta præſtare laborioſiſſimum eſt, illud vſu quotidiano mitigare ac facile reddere nos à primis annis decet. Silere autem in communi viuendi ratione difficil-

limum negotim eſt: cum enim viciſſitudo rerum humanarum ſtatas vices non ſeruet, ſed commutata dominatione potentium minimis etiam momentis inclinationes temporum maximas faciat, ac noua ſemper veteribus contraria, vel diſſimilia ponat ob oculos; nihil factu aſperius ijs, qui paraſiti, vel muti non ſunt, quam iſthæc cernere, ac tacere, vel ſeorſim à ſeipſo ſentire, ac loqui. Cato continentiſſimis moribus, & ingenio maxime quietus erat: continere tamen verba in huiuſmodi cauſa non valuit, nec potentioribus acquieſcere. Seneca fündere ſanguinem è venis potuit, non potuit autem cohibere ſermonem, cùm videret in Vrbe in qua Scipiones, ac Fabij tot illuſtribus pro re priuata & publica factis præcipuũ dignitatis locum obtinere vix potuerant, in ea Seianos, ac Tigellinos incomodando ciuibus, exercendo ſeruiliter optimates, bonum publicum exhauriendo præſtantiſſimis honoribus ſtatim euectos; nimirum vbi clementia Cæſaris & Auguſti bonitas laudatione Ciuium cœlum attigerant, ibi malefica Tyberij calliditas, & libido apotheoſim conſequuta eſt, vt Romanorum genus, ideſt fortiſſima natio leonum, adorare nequiſſimam vulpem deberet. Sceleratiſſimum fortunę ludibrium appellatur hoc à multis, vt verò mihi videtur, ſumma numinis prouidentia eſt, ne ſcilicet vnum tantummodo genus hominum bonis omnibus ſemper fruatur,

&-

& bona quæ varia, fluxa, & inconſtantia
ſunt, non conſtanti ſed caduco modo ſpargantur
in varios; extremoque Dei iudicio
reſeruetur per præmium patentibus fortiter,
agentibus verò nequiter dignum ſupplicium,
quoniam autem continuam hanc,
quamuis non ita ſemper aſperam, commutationem
rerum videre, ac tacere ſenibus
etiam difficillimum eſt, exantlari difficultas
ab ipſa pueritia debet aſſuefacta ſilentio.

Non eſt autem cur ſilentij puerilis neceſſitas
à ſenectute ducatur: cùm in ipſo
puerorum ingenio lateat malum, cui prouidenda
eſt diſciplina tacendi, eius quippe
ætatis ſolemne vitium eſt ſecretum prodere;
nihil fingere, nihil obtegere norunt:
ſi quem medullitus amant, brachijs effuſis
petunt, ſi quid iræ conceperint, ſtomachum
extemplo vomunt, & cum hoſtibus
ſine ſtratagemate confligantur, mentem
omnem geſtant in labris, quidquid accipiunt
oculis, quidquid auribus hauriunt
lingua refundunt illico, credo, quod ex
temperatione corporis humida, etiam eorum
animus madidus eſt, ita ſermones lubricat,
ita perfluit verbis lapſantibus hac,
& illac: cùm tamen forenſis, ac negotioſa
viuendi ratio contrarium vitæ inſtitutum
non rarò poſtulit, vbi enim prauitas
peccatorum temporum propria graſſari cœpit,
nihil implex, nihil ingenuum, nihil ſorte
fortunatum videbis: coluntur vitia colo-

rata virtutibus: virtutem quippe ex corde ſubductam ad externæ modeſtiæ ſuperficiem euocare, animique profundam nequitiã integumento bonę frontis inuoluere, præcipua politicæ artis rudimenta ſunt. Si quis odia introrſum cogere diſcat, ſi quis amores per interualla ſolùm, ac rimas oſtendere, tanquam ictus fulguris vix conſpicuos, & incerta nube velatos, ſi quis temporarius lacrymas ab oculis extorquere, & riſum concinnare labris, reclamante corde, perdiſcat, gloriæ hic profectò ſtudet, auſpicato aggreditur fælicitatem, quid enim ſuccedit ad votum niſi fraudibus impetratum, vel raptum inſidijs? nimirum, niſi fallas, fallendus es: cum ciuibus tanquam cum hoſtibus in bello iuſto res agitur, vbi facere inſidias, dignum ingenuo facinus eſt: ſiue potiùs cum ſerpentibus luctamur, quos vbi ſtrinxeris, elapſos vides, illud etiam comici huc facit: rem gallinaceam tractamus cum vulpibus, quarum in eo etiam ingenium admirabile eſt, quod quamuis aliquando vincere aperto marte, ac populari acclamatione triumphare poſſint, victoriam tamen non æſtimant, niſi clandeſtinis fraudibus reportatam. Enimuerò ſi quid aperte hic afferas, ſi quid libere dicas, ſi quid ſtrenuè facias, in pluribus malis es, haſta, & iaculo prædam inuadentem ſternere nullius eſt laudis; ſi laqueo incautum capias, magnus es. Vita præſens fabula quædã eſſe dicitur

in

in antiquo prouerbio; ſed illud agendi genus; & illa Hiſtrionum gratia in lucro, & plauſibus eſt, ſi poſt ſcænæ ſiparium abditus, vnus Actor plures perſonas non viſus agit, ſi quæ prodit aliquando foras, nunquam eodem vultu cernitur, neque eodem ſermone loquitur. Vna igitur ars occultandi artem, ac induendi ſimulationem in omnibus addiſcenda puero eſt, quamuis Latone filius & alter Apollo fuerit, ſi verſari tuto velit cum his Mercurijs, apud quos communis etiã prudentia pro ſtupiditate ſenſim habetur; eò enim paulatim excreſcit politicę verſutię deprauatio, vt maiorum ſatis cauta olim perſpicacia tãquam ſtupor à recentioribus illudatur.

Mœcenatis ſolertia cum Auguſto prouidentiſſima reuera fuit; ac ille regnante Tiberio ſtolidum pecus fuiſſet ad Seiani verſipellem nequitiam, quo duce ſeruile ſilentium de ingenua veritate ſæpiſſime triumphauit, ita Metellus, Imperator cæteroquin ſapiens erat, ſed vbi cum Iurgutha, & Numidis, infidis, ſubdolis, ſemperque fallacibus gerere bellum cæpit, ingenua Romanorum prudentia Africanis artibus impar ſteiſſet. Sed Marius verſatili ingenio promptior expertus, iam mobilitatem, & perfidiam inimici Ducis, nullum ſibi locum tutum exiſtimans, nulli hominum fidem praſtans, apertis oculis dormiens, inſidias inimicorum anteuenire, & circumvenire ſuis; ita cum hoſtilia ſeiret

omnia

omnia, neſciretur, ipſe imponenti Iurgu-thæ tandem repoſuit, & fraudulenta ſerpentum lybicarum capita in caueas adegit, exagitauit, comprehendit, eliſit.

Igitur cum ſimili hominum, ſiue potius aranearum incautis beſtiolis inſidiantium genere omnes mundi anguli oppleti ſint, quemadmodum amplissimis querimonijs Gregorius Magnus teſtatur, ſic erit informandus puer, vt ſibi cauere ſemper, nulli alteri fidere, aliena conſilia detegere, contegere ſuum, ſimulare ſtudia, Potentioris introſpicere genium, ad eius nutum anticipatum modò togam, modò pallium ſumere, donec ex optimo ſeruo peſſimus aliquando Princeps euadat, donec inter Vliſſes victurus, ſeſquiuliſſes prodeat potius è Schola. Siue igitur ad contemplatricem ſcientiam, ſiue ad ciuiles actiones pueritiam inſtituas, reticentiæ, non loquutionis, occultandi non peruulgandi artem potiſſima ratio habenda eſt.

Sed obijciet hic aliquis verboſitatis amator, fac, vt pueri ſiue honeſtatis, ſiue vtilitatis gratia, ſilentium vocis, occultationem mentis, ſimulationem artis addiſcere debeant: artem hanc certè Magiſtri nonniſi ſermonibus, & perſpicuis, & prolixis edocere debebunt, vt ætas illa ignara maximè, intelligat ſatis. minimè verò, ſi rationem veram, ſi ſolidam authoritatem ſequamur, etenim ſi puerilis ætas hebes, ſtupida rerũ omniũ inſcitia laborat ille ac

docendi modus præſtabit cæteris, qui ſtuporem magis excutiat, qui tarditatem acrius extimulet. Iam vero

Segnius irritant animos demiſſa per aures;
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Ergo nō auribus, ſed oculis committenda primùm doctrina eſt, vt diſciplina ſuccedat, propterea non paucos ſapientes accepimus pueritiæ inſtitūtionem quoad mores etiam, & virtutem auſpicaros fuiſſe ab emblematis, picturis, ludis, Symphonijs, dramatis, mimis, ac pantomimis, ſicuti (quod ad Sapientiam contemplantem facit) ſcimus à ſapientiſſimis Græcis, ætatis primæ curas in deſcribendis, & cognoſcendis figuris Geometricis inſumptas fuiſſe. ſed Græcorum nulli ſecundus in tradendis vitæ ciuilis inſtitutis Plato longè magis efficaci, ac iucunda illecebra pueritiam ad virtutem, & ſtudia compellebat. Gymnaſium ſcilicet litterarium in Orcheſtram mutauit; & quod aliqui tantopere, vt piacula & irritamenta vitiorum, amoueri volunt à pueris, ideſt, ſaltatorum ſpectacula, & ludionum oblectamenta, ea Plato ſumebat vt præcipua incitamenta virtutum, ſentiebat enim id, in quo cœteri Philoſophi cum Ariſtotele conſenſerunt, teneram ætatem voluptate trahi, tractabilemque fieri in quamcumque partem; aſperitate autem corrugari, obdureſcere,

reſcere, fugere, quod ſi mera vi ad frugem corrigas: fallaciã, & ſimiles ſeruorum artes addiſcere vt plurimùm conſueuit. igitur, vt viam virtutis non intercluderet ſpinis, ſed inſpergeret floribus ad inuitamentum induſtriæ, mirum Sapientiæ ludum aperuit magnus ille Philoſophorum magiſter. vnicuique virtutum certam ſaltationem cum melodijs & machinis aptis attribuit, quæ multiplici chorea formam cuiuſque virtutis propriam, & partes, & munera, labores, ac præmia fæliceſque exitus viuo Schemate repreſentaret.

Nimirùm ſi conſtantiæ, vel fortitudinis præceptis excolendis fuiſſet puer, in theatrum deducebatur, in quo eece tibi ſaltator bellicus fulgentibus decorus armis, & criſtatus gemmantibus pennis, clypeoque longo protectus, ad ſpondæum ſtabilem ſedato gradu, ac planè regio ſpatia facere, ſimul arma grauiora tractans ad numerum ſumma cum ſpecie, ac dignitate. tum verò commutatis harmoniæ modis adſunt ex inopinato iuuenes alij ab omni parte barbarici, exoticis & armis, & veſtibus incincti, quaſſabili membrorum ſtructura, & motione incrudita melos, entheum ſaltantes furenter in nobilem illum bellatorem inſurgere, & tanquam munitum Caſtellum obſidione circumdare. Igitur funditorum more iacula ſpargere, tum diſtrictis gladijs ad certamen ſingulare prouocare per fraudem, ſtatimque bipartito

partito concurſu, & mox in vnum coacti deſultoria veſania impetum facere, at ille medius fortitudinis Patronus & penona ſimul ſupra Herculem ſtrenuus, nec magno impar Horatio, extantibus vndique uerſum iaculis, & nonnihil cruentatus in ſpeciem, non animo, non corpore cadere, ſed modo vibratus in gyrum torquere haſtam oblongam, modo reductus in ſuperiorem locum impreſſionem barbaram aptè repellere, retardare, ſuſtinere, donec hoſtes defatigatos videns, iterùm proſilit erectus, in ſingulos, alioſque demùm emortuos, alios morti proximos, omnes humi deiectos, diſperſoſque prospiciens, ſtatum victoris è prælio numerosè componit ad pompam. Hic enimuerò iam prodire foras gratulantium illi iuuenum chorus pulcherrimè habitus, qui conuerſis ad modos ionios cytharis; hoſtium ſpolia feſtiuo tripudio, diuiſoque ſtudio detrahere, atque alius quidem haſtam, gladium alius; vnus pharetram, alter galeam, alijque manubias alias clam ſumptas, & palàm ereptas in varia trophæa diſtribuere: tùm ex grauiori armatura currum ædificat, eique Ducem illum Victorem numeroſis obſequijs imponunt, impoſitam omni ambitu ſalutant, & colunt, donec ſubitario machinamento excitatus triumphalis arcus currum illum manubialem medium cingit & condecorat, dum intereà pleniſſimus harmoniæ ſonitus circa fortem bellatorem

excur-

excurſionibus illis rithmicis obſecundat.

Hunc in modum non ſermone languido traditam, ſed viuo ſpectaculo mimicè expreſſam Fortitudinis notionem aſſumebat puer, cuius æſtimationem ſimul illuſtrem, ſimul amorem iucundum concipiebat, vt Fortitudinis deinde nomine, excogitatione prima non niſi exaggeratione quâdã altiſſimam animi, remque pulcherrime glorioſam, plauſibilem, fortunatam intelligeret, cuius amor hauſtus cum voluptate, nulla deinde moleſtia, aut calamitate exhauriri poſſet.

Verùm ſi danda Modeſtiæ præcepta puello fuiſſent, alio apparatu ſcenico diſciplina rithmica formabatur. Prodibat enim in Orcheſtram virgo nobilis decorè grauis, ac nitida, ductu corporis ad dignitatem, non artis fuco diſpoſita, ſed ſpontè naturæ concinna, ſine cirro, & calamiſtro, capillata tamen decenter, & in cultu veſtimentorum diligens indiligenter, ſatis ditata pudore ingenuo pro dote, ac mundo, non ore verba profundens, ſed oculis probitate ſuffuſis, & vultu diuinitùs afflato verecundiæ ſcholam explicans, ſacros choreæ partheniæ modos inibat. Verùm dum virgo hæc ſpatia decora modeſtiæ peragit: ad fœditatem immodeſtiæ notandam ecce prodeunt è gurguſtijs, illa recedente, congerrones infimæ ſortis mẽdoſiſſima membrorum ſtructura compacti, alij alijs corporis partibus imminuti, ac

diſtori

diſtorti, mira ægritudinum diuerſitate morboſi, mutili, pedibus, humeris gibberoſi, vlceroſi capite, cœcultantes oculis, ventrioſi, ſuſpirioſi, liene turgidi, eruptionibus puſtularum inflati, colore buxei, ferrei, porracei, luridi, cineracei, omnes diſtorti, ſemiamicti centunculis, & palliaſtris omnes; tanto in numero nullus ad numerum quiſquam agere, ſed inconditum ad ſtrepitum Baccorum baccantium, ſcabiem ſcalpere, beſtiolas quæritare, quales fœtentis popelli detrimenta purgare ſolēt in angiportis, Tùm ne otioſi eſſent in negotio ludicro, inflare buccas, torquere genas, dentes exerere, odorem tetri ſulphuris inhalare, fronte, & oculis tumultuarijs tabernariam exercere, ſed exercitus tumultuarius diſſipatur quantocyus, & caupona fœtida vix aperta clauditur. nimirùm ecce tibi Matrona ſeuerior, flagella varia ſubminiſtrantibus gratijs prodibat in ſcenam. doricumque ſaltans, hoc eſt, ſacro furore percita cum rithmo, nebulones illos toto proſcœnio palantes agebat, tùm, nè impunè Baccanal feciſſent, verberones illos innumeros numeroſa verberatione donatos, partim ſua, partim ſuorum comitum opera, dimittebat. claudis igitur crura dirigebant norma lignaria, cœcutientes cogebant collyrio querceo ſtellas cernere in meridie, ventrioſis applicata virgidemia, more turcico, medebantur, ſcabioſis vlmeo pectine pectebant

cu-

cutim, elephantiacis radebant ſaniem nouacula querculana, ſordidorum ſcapulas bubalino ſtrigili mundabant, gibberoſis quadrabant humeros roborea regula, ligneoque malleo tentabant concauum, an campana inde aliqua reſonaret. reliquorum diſtorta membra redigebantur in ordinem loreo perpendiculo. omnium denique malus color vertebatur in fulgentem purpuram, flore ſanguinis euocato verberibus ad extimas partes, quæ remedia dum morboſi illi tenebriones lingunt, ac ſorbent, inconditis, ac planè ferinis ritibus, & rictibus ingemiſcere, latrare alios, alios rugire, alios fremere, vlulare alios, balare, grunnire, rudere, atque inter hæc tandem muſica inimica muſarum, loco ſingulis cedere, fugere, euaneſcere. His è medio ſublatis, vides de ſubito machinatione mirabili cœlum aperiri; aurea in ſede coruſcantes, Pallas, ac Diana Modeſtiam, hoc eſt, virginem illam regreſſam in ſcenam, & modeſtiſſima ſaltatione defunctam excipiunt mediam, Muſarumque choro harmonicè plaudente, inter primæ nobilitatis aſtra deducunt. hæc omnia per mimicā ſimulationem expreſſa ex inſtitutis Platonicis non modo veram notionem, ac pretium Modeſtiæ: ſed mirum in illam amorem & ſympathiam è medullis intimis excitabant; imò verò & contemptum, odiumque capitale, cum horrore, oppoſiti vitij, puerorum in animis figebant

gebant

gebant per oculos primo illo, hoc eſt, indelebili charactere virtutis.

Quæ ſane inſtruendæ pueritiæ ratio feſtiuis ſaltationibus potius, quàm grauioribus ſermonibus, adeò humanæ naturę propria videbatur Platoni, vt in ea diſcrimen hominis à reliquis animantibus poneret. ſicut enim Ariſtotelici hominem definiebant eum, qui ratiocinari queat, Pytagorici verò illum, qui numerare valeat, ita Plato vnum putabat hominem, qui per ſe ipſum ſaltare ad numerum nouiſſet. Nouerat hoc ipſum Heſiodus, qui Theogoniæ ſuæ initio, primas Muſarum curas in concinnis ſaltibus ad fontem ex vmbra ſacratarum arborum nigrum laudauit, Muſarumque opera conſtitui metris, metrum autem conſtare pedibus veteres illi voluerunt, quòd nonniſi pedum ſtatu, ac motu ſacra Muſarum ſtudia tractarentur: propterea hominem imperitum, ac rudem, choreæ Muſarum expertem, eum verò, qui minimè ad rem ſaperet, extra chorum ſaltare dicebant. prouerbio Thucididis etiam temporibus vſurpato; tunc enim ſaltationibus documenta rerum tradi ſolere magnus ille Hiſtoricus ſatis indicauit, cùm de Pericle loquens: Præclara (inquit) ſaltatoris laus eſt noſſe quid deceat, & idipſum poſſe explicare concinnius. Qui mos antiquus adeo ſimilis vero & ex natura eſt, vt hoc etiam tempore apud quoſdam Indiarum populos res memoria

digna

digna non Oratorum laudationibus, non litterarũ monumẽtis Poſteritati tradãtur, ſed choreis frequenti ſaltatorum imitatione expreſſæ trãnſmittantur ad Poſteros Maiorum enim ſuorum præſtantiſsima, quæque facinora diuerſis anni feſtis diebus, ac locis certa quadam vnicuique heroum congruè attributa chorea effingunt egregiè, neque præter annales hoſce nimicẽ deſultorios, aliam prorſùs hiſtoriam cognouerunt. ſed cur apud Poëtarum Principem Homerum vates ille Calchas aſſeuerat ſaltatorem debere noſſe omnia. *Quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura trahantur* ? nempè quia in vſu antiquiſſimo erat ſaltationibus magis, quam loqutionibus rerum omnium doctrinam inſinuare.

Verùm non ſolùm ſapientia in Græcis, & natura in Barbaris vel puerilem inſtitutionem longe à verborum ſtudio faciamus facit, ſed ipſiusmet naturæ procreatrix ſapientia diuina perfecit. Deus enim, qui etiam tacendi magiſter appellatus eſt à ſapiente aliquo, pueritiam mundi, vetuſtiſſima, inquam, illa tempora, & priſcæ ignorantiæ ſæcula, quæ deſpexit Deus (vt Apoſtolicis verbis loquamur) non tam ſermonibus erudiuit ſuis, quos paucos, & breues antiquis Patribus communicauit, quam ſenſili hoc procreatæ naturæ ampliſsimo theatro per oculos notitiam diuinitatis immiſit, muta illa eloquentis ſilentijs

lentij gratia, qua cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Inuiſibilia enim Dei, (ne recedamus à diuinis verbis) per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: quia nimirùm expoſita omnibus ſunt quaſi ficta emblemata, corporatæque picturæ; imò vero, dum aſsiduo motu eoque tam concinno, ac numeroſo pulcherrima quæque corpora circumagi voluit, quid niſi rithmicam paleſtram, & ludum aperuit quodam modo Saliarim ex voto Platonico, vt per Solis, Aſtrorumque choræas condiſceretur ab omnibus Choriſei, hoc eſt conditoris, primi Sapientia, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.

DECLAMATIO II.

Ad comparandam eloquentiam ſilentium eſſe adoleſcentibus certiſſimam viam;

SEd argumentum, quod pro pueritiæ ſilentium inſtructum eſt poſtremo in ordine, contra tacitu nitatem adoleſcentiæ ac iuuentutis armari primo loco poteſt.

cit

cut enim Deus cùm primo illo æuo breuiloquentia quaſi laconica vtebatur, ita ætatibus conſequentibus quaſi cum adulto iam mundo multifariam, multiſque modis in Patribus & Prophetis loquutus dicitur, & tamdem in Filio, ex quo quis facilè concludet, ſilentium quidem pueris, eloquentiam verò Adoleſcentibus congruere. atque hoc illud eſſe videtur, quod vſu apud nos firmatum eſt, vt poſt Grammaticæ exiles præceptiones, poſt conciſum, ac tenuem cibum, quaſi minutal pueris traditum, vberiore deinde Muſarum pabulo Adoleſcentiam nutriamus. Sed quod vſu firmatum eſt, an etiam ratione conſliterit, videamus. Apollo enim (quãdo cum Muſis hic agimus) celebre illud apud veteres Numen Poeſis & eloquentiæ habitus, nonne intra cortinam Delphicam latere tacitus, nec niſi raro, & interrogatus fudiſſe oracula, ideſt, dicta quam breuiſſima protuliſſe fertur, quæ non cedris delibratis, ſed exigui lauri folijs notarentur. notatione autem dignum illud eſt, quod cum Cæſar olim Auguſtus de futuro Imperatore Oraculum Pythium, Hecatombe facta, conſuluiſſet, nulloque accepto reſponſo, ſilentij huius cauſam iteratis hoſtijs requiſiuiſſet; Apollo reſponderit, ſe ab Hebræo infante deuictum cogi ad ſilentium ſempiternum. Quid ergo nos poeticam orationem facultatem tam profusè loquentem, hoc eſt, Apollinem rurſus

excita-

excitatum ab inferis verba dantem inducimus, ſi mutus effici ille debuit ex quo Chriſtus ad nos ceſsit, ſiue quod, idem eſt, ex quo Chriſtianum nomen, atque inſtituta ſuſcepimus?

Sed Chriſtianis etiam, inquies, præclarè loqui ius eſt ex veteri illo præſcripto Sapientis, tempus tacendi, & tempus loquendi. Ius eſt profectò, ſed non niſi ad illud idem præſcriptum ſapientis, vt priùs nimirum tacendi ac meditandi ſpatium ſumas, quod eſſe certiſſimam viam ad comparandam eloquentiam ſatis indicauit, dum loquendi opportunitatem non tradidit, niſi poſtquam tacendi tempus permiſiſſet; vt eo felicior ſequutura eloquentia ſit, quò diuturnior præceſſerit labor ſilentij, in quo præmeditari ſingulas argumenti partes, & reſecare etiam in animo ipſo verba oportet, antequam voces ipſe ad ſtructuram orationis adhibeantur: ſicut olim ad Salomonis templum conſtruendum nullus lapis adduci poterat niſi multò anteà, & valde remoto in loco reſectus, & concinnatus fuiſſet, vt ipſa etiam operis conſtructio ſummo cum ſilentio ſequeretur. Sanè rami, ac frondes (quando hæc ornamenta verborum ſimilia ſunt) non profunduntur à plantis, niſi prius in altis radicibus latenter vegetus ſuccus diuturno ſiletio colligatur. quin & vbi luxuriare arbor in flagella, & folia cœperit, nonnè reſecanda eſt verno tempore,

pore, vt autumnum habeas ex ſententia.
ſanè in amoris diuini paſtoritio dramate,
ſponſa, vt ſponſum, hoc eſt, diuinum Ver-
bum, ipſam eloquentiam æterni Patris in
maceriæ cauerna excipiat, inuitatur prius
ad putationem, qua nimirum inutilia fo-
lia tollerentur: dicitur enim, tempus pu-
tationis aduenit, & paulò poſt ſponſę ſub-
ijcitur. ſonet vox tua in auribus meis:
vox enim tua dulcis, quippe & melle ma-
naret, vt alibi aſſeritur: cuius tamen
mellis dulcedinem non extrahes ab aluea-
rijs, niſi prius ſumma cum ſilentij con-
tentione latentes Apes opus Architecta-
tæ fuerint ſuum. Quid dicemus de Aui-
bus? natio illa eſt ſumme canora: integris
tamen noctibus quaſi prę meditâtes tacent,
vt matutino tempore proſequantur canti-
lenæ ſuæ varietates, ac modos. ne dicam
Cicadas ipſas adulto die non audere ſtre-
pere: niſi priùs mane toto conticuerint.
Venio ad artificum opificia. nonne vel
ipſa opera, quæ reſonandi gratia ſolùm
fabrefiunt, ſilere priùs, & diu debent, vt
ſint grata, & commoda? Horologia, in-
quam, illa, quorum omne pretium in ſono
eſt, quàm longa, tacitaque conuerſione
rotarum, & intercurſu dentium elaborant
momentanea temporum argumenta! vt
conficiant ſonitum breuem, quam lentam
ſuſcipiunt deliberationem priùs? an non
vertigine illa reciproca circulorum tergi-
uerſari videntur, ne cogantur ad ſonitum?
certè

certè nonniſi longo ſilentij circuitu puncta ſonora parturiunt. adeò taciturnitas communis eſt inſtitutio loquutionis, & ſonitus. Eloquentiæ autem præcipuo quodam modo Gymnaſium eſſe dicitur à Baſilio Magno ſilentium, quo ſublato blaterabis quammultis, perſuadebis nulli. etenim habet hoc non ars tantummodò, ſed natura, vt nonniſi ex oppoſitis pariat quidquid progignit. in ſublime feruntur aquæ, ſed ſi prius ad ima deſcenderint. Large, & odoratè germinabit etiam tellus, ſed poſtquã interquieuerit. animalia ſi ſaltum ingentem dare in anteriora velint, retrocedere prius, & conſiſtere nonnihil conſueuerunt: ſed neque ventorum flatus cum ſonitu emergunt foras, niſi prius in terræ viſceribus coctione aliqua per diuturnum ſilentium materia flabilis præparetur. Quod ſi natura omnis inferior perpetuo quodam vel fluctu maris, vel aeris flatu reſonat, & quodammodo loquitur ſecùm ipſa tumultuans: Cæli tamen orbes, quorum ductu caduca mundi reſpublica gubernatur, in tanta, tamque diuerſa celeritate ſupernorum motuum, nullum planè ſonitum edunt. interiora igitur ſunt, mortalia ſunt, quæ nos loqui, ac ſtrepere docent, tacendi verò magiſtros, & cœleſtes, & immortales habemus. Sed & à Philoſophiæ magiſterio nullus Philoſophus tam remotus eſt, vt neſciat vniuſcuiuſque rei exortum, progreſſionem quandam ex

contrarijs eſſe, hoc eſt, à priuatione in formã, atque adeò ſi benè loquendi formã non ex antegreſſo ſilentio daturum te dicis, prolem habere contendis ſine puerperio, ſine conceptu fætum edere niteris, ſine fœtura naſci ſobolem autumas. præclaros partus natura ſecum tacita præmeditatur diutius, & ſi quid tumultuaria feſtinatione generat, non id prolem agnoſcit ſuam, ſed abortum, & molam, vt fungos, aliaſque animas luteas, noctis vnicæ filias, quas tamen nonniſi priùs hauſto humore aliquo, per nocturna ſilentia concipit, ſed protinùs expuit quaſi ſemicoctam renuente ſtomacho pituitam. At Leones, & Elephantos nonniſi commentatione longa, & calcato, preſſoque diutiùs opere elaboratos exprimit.

Quod profectò naturæ progignentis inſtitutum expreſſum etiam videtur ex Authore Deo. Hic enim in mundi molitione prima, vt pauciſſimis illis verbis. Fiat lux. Germinet Terra. ſimilibuſque breuiſſimis dictis ingentia ſex dierum facta depromeret; æterno prius ſilentio digeſſerat vniuerſa, nec niſi de ſilentibus æterno tempore tenebris, diurnæ lucis conuerſiones, tanquam elegantes, & illuſtres periodos explicuit.

At parùm, inquies, profecit Deus, dum tacitis iſtis cæli periodis vnum ſe Numen cognoſcendum propoſuit. ſuaſit ille, non perſuaſit tamen. Notus enim in Iudæa

Deus. nempè quod in ea non mutis naturæ picturis, ſed proprio, & frequenti ſermone cum Patribus vſus eſt. Græcia verò ſapiens, & fortè lacium, & omnigena barbaries linguas illas Aſtrorum elingues, & mutã cæli facundiam non exaudijt, ſiue potius tanquam ænigma quoddam in alios atque alios peruerſos ſenſus pro multiplicitate Deorum deprauatiſſimè torſit. vbi verò vnigenitus Dei, hoc eſt Diuini Patris oratio incitata, & in amorē noſtri volubilis, humano veſtitu, ac noſtrate lingua, & figura dicendi, non ſine concurſu hominum, & fori ſtrepitu verba fecit: nonne vniuerſus paulatim orbis terrarum ſermonem eius audijt, & obaudijt. audio & ipſe libens ſermonem hunc, quippe qui laudat ſilentium, & fauet cauſæ, memini enim quid ſuper isto ſermone Dei ſermocinetur pro ſilentio ſapientia ipſa cum dixit; dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter habet: omnipotens ſermo tuus de regalibus ſedibus venit. igitur ex prægreſſione ſilentij expreſſus eſt ille ſermonis Deus, & ſermo. Imò verò ſtatim, vt migrauit ad nos, ſilentio potiùs compreſſus eſt: continuo enim ex eloquenti mutus inter mortales euaſit. de quo propterea Præcētor Cœlitum ſilentes inter Paſtores canebat. Inuenietis infantem, hoc eſt impotentem loquendi, pannis inuolutum. At euolutus ex infantiæ faſcijs, (dices iterùm) & vir tandem factus

tribus perpetuis annis verba faciens, concionales in populo plauſus excitauit. rectè ad omnes: ſed poſtquam annos triginta, ſeuocatus à Turba tacuiſſet: ſingulos eloquentes annos ſilentiaria annorum decade quodammodo præmuniens. ſimilem loquendi apparatum & Ioannes adhibuit, qui Vox clamantis in deſerto eſſe non potuit, niſi priùs cum truncis arborum; & brutis animantibus, hoc eſt cum mutis mutus diutiſſimè fuiſſet. poſſem & innumerabiles alios facundę ſcholæ ſacros magiſtros memorare, qui ex vna eadem palæſtra tacendi fructus illuſtres Oratorum forenſium retulerunt. ſed vna mulier Catharina Senenſis inauditum illud eloquentiæ miraculum, quia de hac Vrbe egregiè merita eſt, immerito ſileretur.

Hæc igitur ex breui tugurio, in ampliſſimam Aulam Regum, & Pontificum penetrans, tanta verborum grauitate, & copia quà publicè, quà priuatim eloquuta eſt, vt non ſolùm populum, ſed nobiliſſimos quoſque Proceres comprehenſos, verſaret oratione, quæ vellet. quid plura? Pontificem Romanum aggreſſa, qui ſede aliò tranſlata, thalamū Religionis in viduitate reliquerat, qui Romam procul à latio, Sacerdotium procul à Sacris fecerat, aggreſſa, inquam, vna Virgo tàm felici efficientia exaggeratæ diuinitus orationis ſenſum omnem, mentemque diuini Antiſtitis pertractauit, vt excitaret à quiete

grau

graui, vt reuocaret à conſuetudine iam ſuſcepta, vt abriperet illum ab vtilitate præſenti, vt compelleret ad præcipuam Romanorum gloriam, vt cogeret ad communem Chriſtianorum ſalutem, hoc eſt, ad reditum in hanc Vrbem, ita Religionem in Templa, ſplendorem in domicilia, in compita frequentiam, triumphos in Capitolium, in Vaticanum oracula, Vniuerſum terrarum orbem intra hæc mœnia reuocauit, Romamque ipſam deductam in coloniam reduxit in Vrbem, Romana iterum Ciuitate donatam. At fructus hic eloquentiæ tam cumulatus, & amplius quanta, & quali conſtitit exercitatione dicendi?num quotidiana loqutione, ac declamatione in Socratis, aut Theopompi vmbraculis, ad Phalerei, & Theophraſti libram, ac tornum per decennium deſudatum eſt? imò vero apparatus tantæ perſuaſionis potiſſimus triennale ſilentium fuit tam accuratum, ac pertinax, vt ne vnum quidem verbum extra Pænitentiæ Sacramentum eloquentiſſima poſt ſilentium Virgo pronunciauerit. Ne referam Franciſcum Seraphicæ Scholæ Principem, & Authorem, qui poſt collectas domi per ſilentium diuturnum cogitationes diuinas, egreſſus foras, tum ſe præclarè functum Oratoris officio dicebat, cum egregia Modeſtiæ ſignificatione ad multa ſpatia inābulans, nullum planè Verbū protuliſſet.

Verùm hæc de Gymnaſio cœlitum eru-

ditio diuina eſt. nos hic humana rudimenta diſquirimus. igitur nihil alienum ab humanitate dicamus. dicat autem mihi nunc aliquis: hominum cætus, ac ſtudia quanā arte trahuntur? qua facultate fle-ctuntur? verborūne volubilitate obſtrepent, an ſolidis rationum momentis, & ponderibus velitatum! imò verò vna ſæpiſſimè auctoritate, vna grauitate morum temperantur populi, cùm maximè infreni ſeditione diſcordant.

Iamque faces & ſaxa volant: furor arma miniſtrat,

Quis ergo præcipitatum impetum torrentis inhibere poſſit? quis impetrare ſilentium inter turbas furioſorum?

Tum pietate grauem, ac meritis ſi fortè virum quem Conſpexere, ſilent:

An non igitur Numa Pompilius ſedatiſſimus Rex, eloquentiſſimus fuit? qui Martium Romuli populum inter Paſtorum rixas natum, & militari ferocia ad turbas, & pugnas eruditum, breuiſſimo tempore mores placidiſſimos docuit, & modeſtiam veteri religione pleniſſimam? at ille gentē bellicam debellauit non tàm forenſi declamatione, quàm ſolitaria taciturnitate prægreſſa, in qua etiam dicebat ſe conſulere ſolitum quandam Muſam ſilentij amicíſsimam

ciſſimam, quam propterea tacitam appellatam pro Græcorum Harpocrate inuexit Romanis ſuperſtitionibus conſecrandam.

Sed inter barbaræ ſeditionis etiam homines vis, ac felicitas perſuadendi ſilentio præoccupata ſæpiſſimè fuit: cum magnus ille Sophus Iſmaelus, qui ſeceſſionem Perſarum fecit a Turcis, poſt multorum annorum ſolitudinem ab omni humana colloqutione ſeiunctam, non longo poſtmodum tempore, nec multo ſermone ingentes populos ad nouos mores, ad noua imperia, ad noua ſacra conuertit, quæ quamuis praui alicuius dæmonis redolere vim, & artificium videantur: certum tamen eſt, homines non tam incautas, & ſtolidas auiculas eſſe, quæ vario Aucupis minurientis emodulato ſono præcipitatur in viſcus; ſed ratione præditos, & ſui iuris amantes vna vi rationum, vna vtilitatum conglobatione, aut pondere permoueri. At hæc arma in officina meditabundi ſilentij conflatur; hæc fulmina non ad ſonantem incudem Vulcani, ſed in Iouis capite, ſupra hominum ſtrepitum, inſtar Palladis, generantur quibus armis non illuſtratur cutis, ſed corda figuntur: verba enim leuia bractearum loco ſunt, ac lemniſcorum, quibus extima pellis ornatur: ratio & veritas ferrum eſt, quo venitur ad Sanguinem. igitur qui tueri ſeriò cauſas, qui transfigere animos parant, & paratum omnem in vno vocabulorum mundo, & luxu collo-

cant, ſimiles ijs barbaris Mexicanis eſſe videntur, qui cum gladios, & clypeos nonniſi ligneos habeant; variatis tamen ad miraculum plumis, pinnuliſque pſittacorum veſtire, & condecorare ſtipites illos ſolent elegantiſsimè. imò ſi quis in ſtudio diuturnæ cogitationis non detineat Adoleſcentes, velitque eos quocumque loco, & tempore quolibet, qualicumque de argumento verba ſubito fundere, non tam pſittacorum leuiſſimas plumas è Mexico vehere, quam Pſittacorum voces garrulas Romæ quondam omnibus in angulis reſonantes inſtaurare velle videtur. res eſt memoratu digna, quia quid memoria, & ingenium in dicendo valeat, ſine taciturna premeditatione iudicij perſpicuè monſtrat.

Poſtquàm igitur abductis in ſeruitutem nationibus ſeruire voluptati cœpit hæc Vrbs, non res ipſas fortiter, & conſtanter factas, ſed loquutiones friuolas etiam Auium adamabat, garrulitatem, inquam, admirabilem mimicarum volucrum in amoribus, & honoribus habuit. Non credetis, opinor, quæ referam. Sed Catoni credite. viri primarij per hanc Vrbem ſpatiantes geſtabant pugno picas humanam vocem edoctas, & pſittacos loquuteleios ad vocales delicias, quomodo ad aucupium vtile venatores auium deferre brachio accipitres, vel falcones noſtra ætate ſolent per agros, horum temporum

ſane.

caporam ſtultitiam, & factitiæ loquacitatis portentoſas ineptias Marcus Portius Cato, cuius munus cenſorium erat, vita verò ipſa cenſura, exagitauit in Senatu aliquando hunc in modum. O Patres conſcripti. O Roma infauſta. neſcio in quæ tempora inciderimus, cùm ea portenta Romæ videamus, vt viri pugno pſittacos geſtent per Vrbem, domi verò fœminæ nutriant catellos.

Egregium verò ſpectaculum (ſubiecit Senator ille proximus, & argutior) videre Popolum Romanum, qui prius in foro de condendis legibus, de diuidendis manubiis, de transferendis Imperijs agebat cũ Tribunis, & Magiſtratibus, publica iam nugamenta confabulari cum pſittacis. ò grauiſſima negotia Senatorum, quibus adhibendi ſunt pſittaci conſultores. magnum exiſtimabatur eloquentiæ pretium, quod noſtri Cauſidici domo prodeuntes circumfunderentur, & quodammodo veherentur comitatu Clientium, nunc ſupremum decus eſt picas, & pſittacos ſecum portare clientulos. frequentabamus Romæ ſcholas Græcorum, nos Graecorum etiam magiſtri iam ſumus. imò forum illud, quod Caium, & Titum Gracchos eloquentiſsimos Ciues audiebat, iam veris Gracculis reſonat blatteronibus. vbi dicentes pro roſtris Oratores Populus excipiebat plauſibus, ibi pſittacorum roſtris garrientibus acclamant è turribus Corui, & Corn-

& Cornices. ſummum erat deliciarum ſpecimen ſeruos volantes à pedibus ex Gallia conquirere, nunc alatas etiam ſcurras a gutture, vſque ab Indijs emendicamus. parùm videbatur pueros Alexandrinos ad dicacitatem domi educare, niſi ad vaniloquentiam argutantes volùcres in plateas etiam educeremus. cur non potius Bubones, aut noctuas ridicularias ciues noſtri circumferũt? captarent forſan auiculas delicatas vſtulandas in prandiũ, quando cœna cœpit non ſatis eſſe Romanis. Romulus Pater tacitas Aquilas conſpicatus in aere optimum auſpicium ſumpſit huius Vrbis ædificandæ: iam cùm nonniſi picas balbutientes, & pſittacos linguaces audiamus in foro, quod augurium capiemus, niſi eiuſdem Vrbis quamprimùm à Ciuibus cum riſu hoſtium deſtruendæ. hæc Senator iure conqueſtus eſt. ſed deſtruamus profectò nos (Auditores) Eloquentiæ Regnum cum riſu maleuolorum, ſi pro impetu garrulitatis ſine præmeditatione dicere pro arbitratu incipiant Adoleſcentes, neque aliud perſuadere poterunt, quam irriſionem. etenim in cœtu ſapientiſſimorum hominum vbi nonniſi grauiſsimè de rebus ſalutaribus dicebatur, pſittacus hic aliquis leuiſsimam roſæ, vel auroræ deſcriptionem effutiet, vbi permouebatur animus ad pietatem, ac miſericordiam, vnus aliquis è Gracculis verba nugalia fundet è Plauti

comico

comico myrothecio. vbi ſalutaribus ſen-
tentijs, & exemplis vitia profligabantur:
ibi leui aliqua fabella Deorum ſuperſtitio-
nis antiquæ pruriginem excitabit quis,
ventosque laceſſet, roſtrum acuens ad co-
tem Horatij, aut Iuuenalis. Ita Catonis,
& Senatoris laudati querimoniæ in nos
deteriore conditione reciderent.

Sed præter Catonis & Optimatis illius
dicta, factum mercatoris cuiuſdam vinarij
clarius oſtendit infælicem exitum eloquē-
tiæ, non prius ratiocinando per ſilentium
examinatæ. Erudiebat hic ad facundiam
pſittacos permultos in cella vinaria, mer-
cem eo temporis magni queſtus. odore
ſiquidem vini mirè excitatur cerebrum
illis Auibus, ex humore autem verba
fluunt, nec lingua madida retinere quic-
quam in lubrico poteſt. Porrò cum ibi
pſittaci ſæpiùs audirent operas, & famu-
los Mercatoris conquerentes ſuper auari-
tia Domini, quod vinum illis vel nouitiũ.
vel mucidum potui ſemper daret: ea vo-
cabula Nouitium eſt, Mucidum eſt tam
frequenter pſittacorum auribus inculcata
dum de vino ageretur, facilius quàm cæ-
teræ voces accurrebant in linguam. Ec-
ce autem vir eximiæ nobilitatis, bibendi
ſatis auidus, & peritus, acceſsit aliquan-
do ad œnopolium coempturus vini plu-
rimùm, quod optimum eſſet: ſeruabatur
illud autem tunc temporis plurimis & non
admodum magnis amphoris, iiſque occlu-
ſiſsimis

lantem filium audierat vxorem dicentem: Perdis oleum & operam, mi vir. eadem verba domino verberanti pſittacus repetebat. Perdis oleum; perdis oleum & operam. Tum ille, ſatis mihi eſt, inquit, perdidiſſe vinum opera veſtra nequiſſima; & mutato conſilio, diuenditisque quamprimùm pſittacis, non ad loquacitatem amplius erudire volucres, ſed familiam ſuam ſilentio continere ſublata obmurmurandi cauſa decreuit.

Videtis, opinor, quonam referatur iſthæc narratio. riſum Auditorum pro plauſu, ac pretio referent noſtri Oratores, ſi loquacitatis intemperijs agi ſe ſinant, taciturna meditatione neglecta: vbi enim antiquæ maieſtatis ſermo ſeriò habēdus erit, ex leuiuſculis Italorum Poetarū, & peregrinis argutijs nuperum aliquem hauſtum dabunt, alienum à guſtu latino, cui meritò Pſittaci ſucclamarint. Nouitium eſt, Nouitium eſt. ſi quid explicandum erit clarè, ſuauiter, & apertè, abſtruſiſsima obſoletorum verborum coaceruatione mucidum aliquod dicendi genus proferent de cupa Ennij, & Pacuuij; igitur niſi præmutantur eorum animi conſilio, & prudentia quæ taciturnam maximè auditionem, & cogitationes ſilentio ad maturitatem perductas expoſtulant; non in Muſarum fonte cantantes cygnòs, ſed pſittacos obſtrepentes ex Bacchi vinario lacu ſemiebrios audiemus. Impræme-

ditatam

ditatam enim loquendi vim ebrietati ſimilem faciunt ſapientes viri, quæ niſi quietè per. ſilentium concoquatur; mira ebullitione linguæ miſeras affatim ineptias, ac deliramenta profundet, noxia vel ipſi loquenti. vt non immeritò magnus eloquêdi magiſter Ambroſius, celebre illud quinquennale ſilentium Pythagoræ non tàm ad conſequendam ſcientiam, quàm ad eloquentiam comparandam, inſtitutum fuiſſe cenſuerit.

DECLAMATIO III.

Philoſophiam non euulgandam, ſed myſterijs inuoluendam eſſe.

SEd mutum illud Pythagoricorum quinquennium, quoniam ex cõmuni aliorum ſententia Philoſophiæ potiùs, quam eloquentiæ rudimentum erat: vocamur iam ad alium in controuerſia noſtra locum pro occultanda ſapientia maximè opportunum: ad Philoſophos, inquam, vocamur, quos non affluere verbis debere, ſed rebus, ſcientiamque ſuam non collocan-

dam in foro & lumine, ſed in receſſu, & ſacrario, remouendam ab Arbitris, adeò tritum carmen eſt, vt tædeat iam audire millies repetitos ex omnibus ſæculis ſuper occultanda ſapientia mores omnium nationum. gloria enim potiſsima ſapientum virorum in artificio Dædali ſita iam videbatur, hoc eſt, in comminiſcendis ambiguitatum latebris, in obliquandis figurarum Mæandris, implicandisque griphorũ anfractibus, & fabricandis ænigmatum labirinthis, a quibus ne Ariadna quidem explicito glomere ſeſe expediuiſſet ſatis. iniuriam facerem oculis videntibus Romæ paſsim erectos Obeliſcos, & Hermetes, ſi conarer oſtendere ſapientiam Aegyptiorũ commendatam fuiſſe lapidibus, ideſt cuſtodibus mutis, ne quid palam facerent, & peregrinis ferarum imaginibus obſignatam, vt homines à reſignando myſterio deterrerent. afferrem Zamolſis, & Zoroaſtris occultiſsimos ex magia verſus: cùm enim amicè ad ſe conuertere ſapientiam neſcirent; excantare illam per vim carminibus tentauerunt: ſed carminare lanam tam fœdam, & obſoletam, neque ſtudium dulce eſt, neque labor decorus. Deceret quidem ſanam Hebræorum Cabalam, hoc eſt, abditiſsimum ſapientiæ latibulum inueſtigare; ſed ea iamdudum amiſſa eſt, quia nec mandari litteris poterat; neque committi auribus multitudinis: imò ſi hebraico ſolum more ſapientia tradenda eſ-

ſet iunioribus, non modò Canticorum Canticum, & initium, ac finis prophetiæ Ezechielis, quibus arcana diuini amoris, ac furoris conſilia notabantur, ſed ne prima quidem capita libri Geneſeos quibus tamen rerum naturalium ſcientia implicabatur, explicare illis liceret; cùm hebræis in prouerbio eſſet. ne in opere quidem Bereſcith communicabis vocem duobus. Sed communicare cum hebræis ſapientiã dignata cũ fuiſſet Regina extera, quidaliud quàm tenebricoſiſſima ænigmata detulit, quæ vnus Salomon explanauit? non eſt hic locus illuſtrandi locos veterum Prophetarum, quos ipſi dicendo obſcurare inſtar ænigmatum viſi ſunt: neque enim de rerum diuinarum notitia agimus, ſed rerum naturalium notiones pertractamus, hoc eſt, ſapientiam Græcorum, quam fuiſſe ab illis multiplici fabularum integumento celatam, vt in Apolline, claram Solis vim, in Diana Lunæ frigidam efficientiam, in Saturno vorante filios, tempus omnia ſecum abſumens, in Iunone nitorem aeris, in Vulcani operibus, effecta ignis notarent, aliaque ſexcenta, nolo fuſius hic oſtendere, ne agam tranſcurſu, quod ex præparato peractum iam fuit à multis, Sed ſatis explorata Pythagoræ Symbola, quibus occluſit veritatem, non omnibus erant, quorum etiam occultas ſignificationes, quia Hippæchus eiuſdem ſectæ Philoſophus in aperto ſtatuere voluit.

luit reprehēſus eſt acriterà Lyſide Pytha-gorico. tanto minus Democritus euulgandam cenſuit ſapientiam, quam in altiſſimo puteo demerſam expiſcari volebat. Socrates quam in abdito vellet ſartatecta naturæ myſteria, ſatis apud Platonem indicat fabuloſis illis allegorijs, quas veluti opus tectorium ſuperinduxit fabricæ veritatis. quibus etiam allegorijs non ſatis fidere viſus eſt in Amoris enarranda fabula, cum nonniſi circumducto faciei pallio eloqui myſterium auſus eſt. quale verò ſilentium in auditoribus etiam vellet, Aeſchines eius diſcipulus edocere nos poteſt, dicere ſolitus; frequentare ſe Scholam Socratis, vt ſilentium addiſceret, qui etiam Socrates, cur Alcibiadis ſilenum aſpectu deformem, & aſperum ſed intra pectus pretioſiſſimas gemmas occultantem tantopere celebrauit, niſi quia latentis Sapientiæ clara quædam effigies erat? ſed Mineruæ; hoc eſt, ſapientiæ ſimulacrū quare capiti noctuam, nocturnum, & ſolitarium animal habuit impreſſam, niſi vt exprimeret in obſcuris receſſibus caput Mineruæ, hoc eſt, primæ notæ ſapientiam reperiri. irreperti verò ſunt etiam hanc ob cauſam Platonici numeri, qui ſupra omnem Arithmeticam ſcientias abſtruſiſſimas in ſummam occulte redigebat omnibus numeris abſolutam. Numquam abſoluerem ſi antiquiſſimos Brachmanes, & Gymnoſophiſtas referrem, quos acrioribus

radijs

radijs veritatis induxiſſe nubilum occultis Symbolis certum eſt, ſed incertum quibus. illud de Sinenſibus tàm recentioribus quam antiquis addere debeo, tùm quia nihil antiquius habent Sapientia, tùm quia recenti admodum notitia permanauerunt ad nós. hi non ſolùm Scientiam ignotiſſimis characteribus committunt, nullo prorſus alphabeto vtentes, ſed cum eam explanare vir aliquis doctus, & eloquens nititur, arcanum quemdam adhibet litteratorum Sermonem, tam multis variandum inflexionibus, tot amphibolijs perplexum, vt ipſa illa veluti magni Tireſiæ interpretatio vlteriore aliquo Oedipo, &Sphinge interprete ſemper indigeat. iam vero tot gentium mores, tamque diſſimilium, quomodo in tantam ſimilitudinem opinionis, & voluntatis coaleſcere poſſet; niſi prima inſtitutio manaret ex eadem ſchola naturæ? hæc ſiquidem non modò mentes noſtras innatis præceptionibus erudit ad occulendum, quod optimum eſt ſed aliarum pænè omnium rerum exemplo compellit. etenim medullam boni, & cor naturæ quod nos ſubſtantiam vocamus, non apertè oculis obiecit, ſed conueſtitam formis, quas accidentia nuncupamus, ſed & arbores, & quæcumque vitam tantum modo altricem habent non implumes, aut detectas, ſed libris,& corticibus opertas communit, earum vero fætus, ac fructus non enucleatos, nō nudos, ſed nucleis
mem-

membranis, externiſque membris obtectos educit. obducit autem corio, pellibus, plumis animantes in terris, neque in vndis piſces diutius viuere voluit, ſiſquammarum feceris detractionem; mentem ipſam humanam opaco circumtexit corpore. cur illud igitur verborum opera diaphanum reddere conamur, adimentes animo reuerentiam, quæ rebus maior accidit ex remoto: propterea cauſę rerum naturalium principes, cum parente natura, noſtro è conſpectu ſemigrauerunt in altum, & per has corporatas formas caducis ſenſibus obuias quaſi per denſiora vela nonnihil interlucent. has autem formas non veritate ſolida concretas eſſe; ſed adumbratas figura veri latentis, mundi cuiuſdam melioris vmbras per fugam proiectas in tenebricoſum antrum ſcribebat Plato; cui aliqua etiam ex parte ſubſcribere videtur Paulus illis verbis; Præterit figura huius mundi.

Sed quamuis preteriremus non accepta extrinſecùs argumenta, quibus oſtenditur tranſuerſos agi Philoſophos, dum arcana Philoſophię tam claris, apertiſque verbis nudamus: domi tamen noſtræ clariſsimũ ſuccreſcit argumentum, quo conuincimur diſcrepantiæ intolerandæ in ſapientia peruulganda. Etenim dum differere tam acute, tam dilucide interpretari, tam ſubtiliter examinare contendimus opiniones, ac ſeſa, dictioneſque ſingulas Ariſtotelis, id

vnum

vnum agimus, vt Ariſtotelis Ducis noſtri ſuſcepto Sacramento, aduerſus ipſum Ariſtotelem arma vertamus. ſcripſit ille dedita opera de natura rerum obſcuriſsimè, vt nihil ſe tot libris conſcripſiſſe auſus ſit dicere Alexandro ſuo conquerẽti grauius copiam ſapientiæ impudenter omnibus factam. nos contra quaſi teſtamento reliquiſſet ille, arcana peripathetica tanquã bona hæreditaria publicè diuidenda; nihil eſt quod potiùs faciamus, quam vt quæ ſcripſerit, quæ dixerit, quæ cogitauerit, quæ cogitare potuerit Ariſtoteles, eloquamur palam. neque enim ſumma ſolùm capita ſecretorum indicamus, ſed reconditas quaſque minutias veritatis particulatim incidimus, è Philoſophis in Chirurgos anatomicos degenerauimus, dum occultiſsimas rationes veluti abſtruſiſsimas fibras, & minutiores venas Sapientiæ diſſecamus, & in minima trahimus ad ſpectaculum, numerum facimus, quod vnum eſt, nec iam res ipſas attingimus, ſed mentis noſtræ factitias difflamus atomos, & leuiſsima ſchidia figmentorum diſſerimus, quæ ne oblongis quidem recentium Aſtronomorum opticis tubis videri queant. quam ſpem frugis, quæſo vos, ex agro ſapientiæ ſperare poſſumus, quem ita miſere pulueramus? exilitas iſta eſt anguſtorum pectorum, nihil niſi quod minimum eſt, conſectari. ſanè cùm noſtra mens corporis limitibus incluſa fines an-

guſtos

guſtos habeat, nec pluribus rebus ſimul, aerem operam dare poſsit, ſi mutiſsim a quæque maximo ſtudio ſequitur, res magnas proſequatur minima diligentia, neceſſe eſt. An non doctrina hæc acutior ipſa ſubtilitate, ſi quid valet ingenij ſpecie, alterum tantum conſilij, & vtilitatis pondere deſtituitur, difflanda per auras? leuiſsimo illi homuncioni perſimilis eſt, qui, ſi quando calceos plumbeos non detuliſſet pedibus, quouis ventorũ flatu diſsipabatur in aerem. Sed colligere animum à diſsipatione, & quieſcere, ac ſedere præcipuum Philoſophi munus eſt. ſcimus enim ab authore naturæ mundum hunc quaſi theatrum quoddam extructum, quod ſublatis à procreata primùm luce tenebris, veluti ſipario deducto contemplationi noſtræ propoſitum fuit. ibi quot præclara corpora vides, tot perſonæ nobiles geſtũ faciunt, & artificium præ ſe ferentes enarrant gloriam Poetæ, ideſt Conditoris optimi, quod ſi homines, & ex hominibus Philoſophi præcipui ſpectatores ſunt; ſpectatorum quoque partes agant oportet, quieſcant, inquam, & taceant. vt enim Comicus adnotabat, ſpectatorum vtilitas, & autoris, actorumque gloria ſumma, ſunt Auditores taciti in ſubſellijs. ſed nonnulli Philoſophorum, qui emiſsitijs oculis (ne ab Comicis vocabulis recedamus) introſpiciunt ſubtilitates naturæ, eaſque retinere apud ſe non poſſunt, quin hac & illhac

voce

voce, profundant, videntur ex ipſo Vniuerſi dramate, ac ludo contrahere morbum quemdam, quem in celeberrima Græcorum ciuitate, è ſpectaculo quodam tragico Auditores non pauci aliquando conceperunt: cum enim audita fabula rediijſſent domum, in ſubitariam quandam febrim inciderunt, mira quadam intemperie delirantes. Videbantur enim ſibi omnes tragici Actores eſſe, nulloque aliò perperam facto, præterquam geſtibus, verſibus tragicis, aut prouerbijs metricis deſipientiam hiſtrionicam oſtentabant, vt morbum illum, tragicam febrim, & ægritudinem drammaticam appellauerint. eius rei cauſa fortaſſe fuit, quod cùm recenti opere tectorio exornatum fuiſſet theatrum illud ex humentium adhuc cœmentorum ſitu, & affiatu, qui ſimul cum actione, ac voce Hiſtrionum penetrabat in cerebrum, ſequuta fuerit ægritudo, quæ vna, & eadem opera Sanguinem commouens, phantaſiam etiam ſtimulabat in eas voces, ac geſtus, vel ſimiles ijs, qui paulò ante percepti auribus, oculiſque magis etiam in promptu linguæ reſederant. Igitur cum aduocatus Medicus peteret ab ægroto quopiam, quam placido ſopore antegreſſa nocte quieuiſſet ille erectus è culcitra adductis ſuperciliijs, librata dextera, primoque digito cum altero coeunte reſpondebat ex tragicis.

Germana mortis eſt ſoporifera quies .

Interrogatus alter ab amico, cur ſôcalibus inumbratum collum cinxiſſet, reſponſum ex tragœdia dabat ineptiſsimum.

Ite vmbroſas cingite valles.
Scandite colles.

Quærebat ab alio alius, an, & quo morbo ingemiſceret , & quam fidem ſui doloris faceret . occurrebat æger tragœdus effectus.

Animo dolenti nil oportet credere.

Rurſus à Medico rogatus ęger, an bené ageret reſponſionem dedit.

Malè agit ager , qui Medicum hæredem facit.

Hunc in modum tragico morbo affecti reſponſionibus mimicis laceſſebant interrogantes, quod neque ex reſpondentium vſu erat, neque ex voto interrogantium. At non magis ex vſu fortaſſe ſunt quæ non nulli Philoſophi ſubtilius agitant, & communicant . cum enim toti ſint in abſtruſiſsimis, & acutiſsimis quæſtionibus elimandis ad tenuè, nihil afferunt, quod eorū animos ſanet , neque commoditati , aut deſiderio aliorum faciat ſatis, vt delirare intra domeſticos parietes, ideſt , extra

ſuorum conuictu n, neque reſpondere ad humanam rem videantur. Enimuerò ſcire cupiat aliquis, & ſiſcitetur cauſam, ob quã hoc tempore ſiccitates maxime terras vexauerint, aliud verò tempus exundationibus fluminum, & aſsiduis pluuijs fædum fuerit, quid reſpondebit aliquis ex diſciplina Phyſica? credo illud. Tempus eſt numerus motus, numerus, inquam, non numerans, ſed numeratus, quamuis eius etiam numeri complementum à mente ſit. amentia videbitur alicui hæc: quæratur aliquid ex Phyſicis corporatum magis; cur nimirum in arietis capite naſcantur vermes: capita vero ceruorum arboreſcant in cornua. Reſponſio niſi fallor, afferri poterit ex logicis. Hircoceruus eſt alligatura rei ad non rem, cuius corpus in non corpore conſiſtit, cuius veritas mendacium eſt, quod fallacia quædam ex duobus veris falſo compacta ferruminat.

Nolo perſequi cætera, ne quæſtiones huiuſmodi perſequar infinitas. Fines enim Theologorum etiam attingendi ſunt, & iam nimis diu aſſumptis aliunde argumentationibus, occupamus locum Theologiæ præcipuum. quamuis enim vitia hæc Philoſophorum qui retruſam ſapientiam lima extenuatam extra rem, & vſum diſpertiunt communia nobis ſint, imò verò ſecundum potiorem partem propria. tamen arcem cauſæ præſentis conſtituit modus ille noſter

ſter peruulgandi ſacram doctrinam, qui videtur aduerſarijs extra modum abſonus & abſurdus. etenim ſi prophanorum enarrata facta delicta ſunt, hæc cenſeri poſſunt ſacrilegia flaminum.

DECLAMATIO IV.

Theologicam doctrinam in apertum dandam non eſſe.

PRofectò cum Theologus omnem operam in pertractandis rebus diuinis inſumere debeat: quotuſquiſque eſt, qui non videat ſacra in Sacrario aſſeruanda eſſe, non quibuſcunque volentibus concedenda?

Vetabo qui Cereris Sacrum
Vulgarit arcana ſub ijſdem
Sit Trabibus, fragilemque mecum
Soluat Phaſelum.

Canebat antiquus æmulator Pindari, ratus nefarium facinus illud eſſe, atque omni ex parte deteſtabile. eius propterea criminis euitandi gratia mutum admonitorem in Templorum aditu collocabant

veteres Harpocratem, digito ad os applicito, ſilentium indicentem hoſpitibus ingreſſuris. erat hic diuinis in honoribus ab vna ſilentij ſacri virtute relatus in Deos. Sed & delubra ipſa Deorum circumiectis arborum vmbraculis occultabant ſemper; quorum etiam in aditis ſacerdotes ipſi dũ cæleſtibus Diuis faciebant, non niſi tænijs ac vittis vndique obuoluti immolare poterant, nec niſi præmiſſa ea Religionis pleniſsima legè, fauete linguis. imò verò ſi fundendæ preces pro Romana Republica & Magiſtratibus fuiſſent, ne nomina quidem eorum propria nota populo proferebantur in omnibus ſacris, ſed arcano quodam ſermone vſi Romam Amarillidẽ, Romulum Altillum, alioſque alijs ignotis vocabulis, vetuſtiſsimi Antiſtitum appellabant. quod verborum myſterium indicaſſe vulgò viſus eſt poetarum Antiſtes Virgilius illo hemiſtichio:

Dum nos Amarillis habet, Galatea reliquit.

Significans Romæ ſe libentius commorari, Mantua iam relicta. tale dictum in maledicti loco obiectum Virgilio eſt à nõnullis Romanis, quod nimirum ſacram rem communem feciſſet. Sed longè peioribus modis acceptus iam fuerat à Græcis Aeſchilus tragœdiæ nobilioris artifex primus; quippe qui niſi fuga ſubita capiti

con-

conſuluiſſet ſuo, obruebatur lapidibus, quod Cereris arcana quædam verba vſurpauiſſet in Theatro. Sed quando theatralia ſacra cum ſuis Dijs execranda ſunt, neque momentum per ſe afferunt in cauſa Religionis veræ. illud ex verò Dei cultu proferre ſat erit. quod Hębreorum ſacerdotum princeps ſupplicaturus pro duodecim tribubus Iſrael, non niſi in obſcuro penetrali Numinis, neque Dei nomen illud tetragrammaton, quod inenarrabile propterea vocabatur, neque tribuum nomina pronunciaſſe. ſed earum ſtemmata, vel ſimbola deſcripta gemmis in tunica pectoris protuliſſe Domino dicitur ab eruditis viris, propterea etiam (quod ad ſcientiam, de qua loquimur, propius facit) labia Sacerdotum Scientiam cuſtodire, non effutire iubentur in diuinis oraculis, in quibus labia diuinæ Sponſæ eo nomine commēdantur, quod vittis, ac tænijs hoc eſt, vinculis perſimilia ſint. *Sicuti vitta coccinea labia tua.* Vittarum autem quis vſus, quod officium eſt? niſi colligare, aſtringere, occludere? quod ſi aliquando impartiendus neceſſario ſermo ſit: non effundendus, ſed liquandus guttatim dicitur in eodem amantis ſapientiæ carmine, dum laudantur labia diſtillantia myrrham primam, hoc eſt, minutis interliquentia ſtillis, non largis fluentis manantia. ſi quidem os Iuſti parturire, non parere dicitur ſapientiam, imitans Deum, cuius

cuius paruam ſtillam ſermonis audiuiſſe dicitur Iob, non imbrem, aut tempeſtatem.

Quod ſi vſpiam laudi datur linguæ Iuſtorum, quod melle, ac lacte madida ſermonibus dulcibus fluat, at hoc ipſo comprobatur breuiloquentia; mellis enim libatio eſt, non ingurgitatio, & lacti modicus hauſtus congruit, non largior comeſſatio. denique ſi labia murorum loco ſunt, quibus ſapientiæ arx ipſa munitur: cuſtodienda ne mænia præſidio ſint ab eorum cuſtodibus, an verò prodenda, dubitare ſi quis volet, non poterit.

In ſumma quondam Arce Athenienſium Minerua, cuius nomen pro Sapientiæ numine fuit, abditiſsima ſacrarum ædium cuſtodia tenebatur, neque videri ſe à populis permittebat, niſi panathenaicis diebus, hoc eſt, in maxima celebritate Græcorum, & non niſi velatam celebratiſsimo illo peplo, quem circumlatum percompita quicumque tactu, viſu, comitatu reuereri propiùs potuiſſet: enimuerò non ſapientiam modò ſecùm ſtare, ſed bonam Fortunã etiam comitẽ ſe habere putabat. quin & piaculum grãde admiſiſſent Aeditui, ſi Veritatis Deam exutam ſuis illis integumentis oſtendiſſent. At nos Arcis veritatis excubitores præpoſteri, & ſapientiæ peruerſi Aeditui omnes dies maximè feſtos iam fecimus, dùm peruulgando myſteria, aperimus quotidie ſacraria, nihilque

hilque habere videmur antiquius, quam ſacram Veritatem volentibus, nolentibus Auditoribus introſpiciendam ſine peplo proponere, nudatam, inquam, velamento, quod Sanctiſsimi Vates à mundi primordijs tanto ſtudio pertexuerunt. An non haec illa ſpoliatio eſt, ex qua dolorem non conſolabilem capiebat diuina mulier, ſapientiæ ſimulacrum, ac ſpecimen in amoris cantico, dùm dicebat. *Tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.* Nos profecto compellat ea iuſta quærimonia, qui cuſtodes cum ſimus Hieroſolymorum, hoc eſt, Deo dicatarum mentium, pallium tamen Sunamiti detrahimus, hoc eſt, ſapientiam ſine vllo obſcuritatis velamento, nudam quodammodò foras extrahimus, Mineruam circumducimus ſine peplo, iniurioſi pulchritudinis eius productores. noſtra enim Pallas, cœli vera ſoboles eſt in arce Sion, ejuſque Sacris penetralibus edita, cuius hymnos, & cantiones ſilentio non vocibus emodulandas eſſe docuit arcana Hebræorum lingua, quæ, vbi nos in Pſalmo illo notiſsimo, legimus. *Te decet hymnus Deus in Sion*, explicat. *Tibi debetur ſilentium in Sion*: ex eo Chriſtianorum veritas educata ſeorſim à turbis inter manus antiquiſsimorum, Eccleſiæ ſapiētium, quorum etiam, referente magno Areopagita Dionyſio, ſeueriſsima lege cautum fuit, ne Chriſtianorum arcana doctrina in apertum vlla ratione daretur. Virgo ſiquidem

illa eſt Modeſtiæ colens, & amiciſsima verecundiæ cui velum faciem occultans pro ceruſſa,& purpuriſſo eſt: ex quo velamine fronti obducto, Salomon in epithalamio magno, ſponſę genas cum malis punicis comparatas laudauit, quòd punica mala ruborem, & candorem, elementa præcipua pulchritudinis, non ſicut poma reliqua nudos & aſpectabiles colores præferant, ſed duriore cortice obtectas abſcondunt, ſicuti Sunamitis illa foras egrediens vultum velo aliquo modeſtiſsimè ſemper obtentum habebat. tales etiã hoc tempore Virgines ingenuas videmus, quæ ſine obducto faciei velamento lucem videre non audent. cui conſuetudini iamdudum ſubcripſiſſe videtur Salomõ dũm Sunamitis faciem in malorum punicorum tegmine celebrauit.

At Sapientia, inquies, vt Virgo ſit, confidentior tamen, ac liberior eſſe debet. tanquam nubilis, imò nuptu iam collocata. humani ſiquidem ingenij thalamo vel ab ipſis mundi cunabilis deſponſa iam eſt, ita ſanè. Sed ſponſa quam ob cauſam nupta vocabatur antiquitùs, niſi quia obnubere frontem, ac vultum debebat, cùm in familiam optatam ducebatur: Accedat igitur, noſtra voce pronuba, in Auditorum animos ſacra doctrina, non aperta tamen; ac propatula, ſed velata breuibus Symbolis, ac notis occultis, neque externa dote, aut mundo nuptiali

verbo.

verborum ad pompam conſpicua, cum ſibi ipſe dos ampliſsima ſit ex pulchritudine. Poſtquam verò ad animum Nupta hæc fœlix acceſſerit, quā ratione cuſtodienda ſit, Sapiens indicauit, cùm Sapientiam theſaurum abſconditum debere eſſe pronunciauit. nos igitur diſsipamus dotem, perdimus patrimonium, & conquiſitas ingeniorum noſtrorum opes dum verbis tam planiloquis, & ſcriptis tàm claris, ac ſolutionibus tàm profuſis notitias quaſque abſtruſiſsimæ Theologiæ profundimus, quas veluti magni theſauri gemmas, cuſtodire tacite apud nos par erat, vt ex illis eſſent nobis vſui, & non niſi paucis amicis noſtris comitati. hoc enim ſibi volebat eiuſdem Sapientis antiquum illud effatum. *In theſauris Sapientia ſignificatio diſciplinæ.* Hoc eſt, verba Sapientiæ tanquam gemmæ in Theſáuris recondenda, nón diſsipanda ſunt. ſed nos profuſi Nepotes, quidquid contrahendum fuit, diſtrahimus.

Aerarium ſanè Romanorum, quod etiam templum Saturni, & ſanctius, ne violari poſſet, appellabant, nulli priuatorum licebat ingredi: & tamen vnicuique pro arbitratu ius eſt noſtræ Palladis ædes adire, ſeque in ærarium tantorum bonorum inferre. Sed parum eſt aperire nos aditum ad ærarium; eius enim etiam opes expòrtamus e ianuis, demittimus è tectis, proijcimus de feneſtris: & quod

admirabilius eſt, dum rem communem ita diſperdimus, è re noſtra facere maximè nobis videmur. Laboramus enim ſani, & ſenes eodem fermè deliramento, quo iuuenes aliquot Athenis olim poſt cænam appoti largius correpti ſunt, & quo, ne percocta quidem crapula, expedire ſe penitus potuerunt. Acceſſerunt enim ad hoſpitium illuſtre adoleſcentes nonnulli ex condicto, collatiſque ſymbolis: ibi epulati lautè cum poculis frequentioribus, quam ſobrietas pateretur, indulſiſſent, inaudito quodam dementiæ genere, ita mente alienati ſunt, vt alij tamen aliorſum ab alijs animo non abiuerint: ſed omnes incredibili conſenſu in eam delirationem inciderent, vt crederent Cœnaculum, in quo conuiuabantur, magnū quoddam nauigium eſſe, quod, coorta ſubitò tempeſtate peſſimis modis afflictabatur ad Syrtes, extremo iam ſalutis communis diſcrimine. Siue quia cerebrum ex mero largius accepto vndabundum, inieciſſet menti vnam cogitationem de fluctibus: ſiue quod paulò ante voluptatis cauſa in mari proximo feciſſent vela non ſine aliqua iactatione ventorum, ſed quacumque tandem ex ratione extra ordinem rationis agerentur, ſeruabant tamen factorum ordinem ſumma ſententiæ ſemel ſuſceptæ conſtantia coherentes ſibi, primò enim conclamare alter alteri vocem interturbantes, rimas tabulata ducūt, antennæ

antennæ corruunt, vela conſcinduntur, tum palleſcere, tremere, Caſtorem & Pollucem obteſtari, nuncupare vota Neptuno, & Thetidi. cumque neſcio quis exclamaſſet. exoneranda eſt nauis, abijciamus ſarcinas; ſatius eſt perire noſtra, quàm nos. enimuerò primùm quidem & mantilia, & patinas, quæ in expedito poſita erant, per feneſtras demittunt, tum popinam ingreſsi, ollas, & fictilia quæque vaſcula cum omni coquinario inſtrumento pari proiectu deturbant, neque parcunt menſis, & abacis, quin omnia ex domo ſumma cum feſtinatione proijciant. ad ſubitarium tumultum cũ accuriſſet hoſpitij Dominus, remque ſuam peſſundari videns vociferaretur obiurgans, obteſtans, interminans, & vocans illos in ius. tunc ex bene potis non nemo. Ecce Gubernatorem, inquit, qui temone relicto feriatur, vt nos in ſcopulum impactos ineuitabili naufragio perdat; acceptoque fuſte diuerberans hominem, addit. quandoquidem ſedere ad gubernaculum non vis, munera nautarum exequere, exonera nobiſcum nauigium, ne tua ſeruata re, vitam noſtram perditũ eas. Ita metu mortis coactus, ex domicilij domino factus nauta ſine nauigio, ſomnians in vigilia, & ſana mente delirus, ſuis manibus aulæa, & tapetes, cæteraque ornamenta parietum detrahit, quin & arcas, & arculas, omnemque fere ſuppel-

 lectilem

lectilem per ſchalas, ac feneſtras demittit: dum intereà coacto in via populo, vnuſquiſque externorum rem oblatam diſtrahere, rapere, domum comportare properè. & quod caput eſt, ipſi familiæ veteres inimici præſto ſunt, direptiſque bonis tanquam ſpolijs opimis detractis veluti ouantes diſcurrunt. Sed neque hic conquieſcit furor; quamuis enim partim labore defeſsi, partim vino depreſsi nonnihil quieuiſſent. tamen cum pauló poſt in iudicium publicum ſerio adducerentur tanquam manifeſti expilationis factæ per vim, in eadem opinatione naufragij perſiſtebant, atque adeo Iudices, obuioſque homines tanquàm marinos Deos, ac Deas rati amplificata deliratione compellabant. ò viri Tritones, fœminæque Nymphæ Nereides quam malum domicilium eſt mare terreſtribus animalibus? per Neptunum Patrem, Matremque matrimam Thetidem, exhaurite nobiſcum ſentinam, vel extrahite totum nauigium ex hoc fundo, vt ſani, ſi minus, ſicci redeamus domum, & reuerſi tandem Athenas coram populo, & Magiſtratibus Sacerdotum piſcium Hecatombem vobis ex voto ſoluamus. his auditis Iudices pars hilaritate perſuſi, pars miſericordia commoti dimiſſa concione comperendinant, toto foro cachinnis inconditis perſonante.

Sed redeamus pauliſper è foro: domi

enim

enim noſtrę ſcena iſthæc in nos conuerti-tur. etenim aliqui Theologi nonnulla forſitan gloriolæ inanis ebrietate ſuffuſi, dum in quamplurimis ſententia diſcrepant, in eo tamen vna mente conſentiunt omnes, vt quidquid doctrinarum habent in pectore, verbis fundant è cathedris, & ſubſellijs, quid, niſi ſupellectilem ſacram, & bona domeſtica mentium tanquam nauigij quaſſabundi ſarcinas per feneſtras, & fores eijciunt? ſanè cum doctiores multis alijs futuri fuiſſent, ſi tacuiſſent, iam vulgatis ſcientiarum opibus, reperient alios ſcientes ex æquo: quorum etiam nonnulli (vt eſt humanum genus appetens alieni) huiuſmodi noſtrorum ingeniorum partus abiectos tanquam merces naufragio diſsipatas colligunt, venditant ſeipſos auctores, diuenduntque palam aliena pro ſuis, & quod in grauiſsimis damnis enumerari debet, ipſi hoſtes Eccleſiæ argumenta ſubtilia contra veritatem à nobis excogitata, & ſoluta ſurripiunt; & ſolutionibus occultatis ea deblaterantes in vulgus, decipiunt multitudinem imperitam. cum præſertim enodationes vtpote argumentationibus altiores requirant præſtantiorem aciem ingenij, ac ſubtilitatem doctrinæ, quam ſit pro captu imperitiſsimę plebis. quod ſi prouocatio fiat ad Iudices de repetundis, imploreturque auxilium ſcriptorum, & impreſſorum, vt ius famæ læſum reſarciatur, ridicu-

ridiculam intendemus litem deciſionis minimè capacem, cum illi iam primi occupauerint poſſeſsionem.

Verùm quoniam in foro litteratorum non tam litigatores Theologi ſunt, quam ſupremi Iudices, ex eo ſequi dicet aliquis, vt in luce, ac foro, ac pleniſsimè ſententiam dicere debeant. iudicia enim publicè exercenda ſunt, ne, dum clandeſtinas per vmbras ius dicitur, iniuria facilè pro iure reddatur. in tenebris enim pari colore nigra sũt omnia, & bona cum malis ex æquo ignota diſcurrunt. ſed quod de Iudicijs obijcitur, ipſa veterũ Iudicum tribunalia facilè diluunt. erat enim in more poſitum, vt cum controuerſia altioris indagationis indigeret, velum quoddam Tribunali continuò prætenderetur. cum ergo Theologorum cauſæ omnes & grauiſsimę ſint, & diligenti inueſtigatione dignilsimæ, obducto quaſi velo, procul à conſpectu multitudinis tranſigi cum paucis debent, non propalam euulgari. quod ſi quis adhuc tenebras criminis loco iudicibus obijciat: non modo ſapientiſsimum Areopagi conſilium feneſtris occluſis haberi ſolitum fruſtra coarguit: ſed condemnat etiam ſacroſanctum veri Numinis Tribunal, interius, inquam, tabernaculum, & propitiatorium, ex quo nonniſi per nebulas odoramentorum fumantium, & medijs in tenebris reſponſa dabantur. Sed, quod admirationem ciet maiorem.

iorem, vetuſtiſsimi illi vates, qui vocantem, aut reſpondentem audiuiſſent Deum, non percuſsi auribus, ſed linguam quodammodo tacti de cœlo, & ad ſilentium adacti continuo videbantur. tam præſens diuinæ præſentiæ argumentum taciturnitas erat. ſic enim & Moſem ſapientiſsimum prima Dei colloquutione, & diſertiſsimum Iſaiam, & miſericordem multum verbis Ieremiam, & alios afflatu Dei afflatos, interclufio vocis, & anguſtiæ ſpiritus tenuerunt. Moſes autem frequentibus Dei reſponſis in Theologorum Principem eruditus, cum montem excelſum, obſcuratum nubibus pro ſanctuario velamentis ornato ſortitus, procul amotis humanis arbitris diuina tractaſſet cum Deo: reuerſus tandem ad ſuos, non amplius aperta fronte cum populis verſabatur, ſed vultum ceu ſacrum Dei ſimulacrum effectum, velo interuentore claudebat. quid nos igitur, qui non ſolum exprompta fronte, ſed corde quoque propatulo res diuinas tam facilè in apertum referimus, quã exiſtimationem, quam famam de nobis excitabimus! profecto non ex Dei, Diuorumque congreſsibus in monte vllo ex terris eminente habitis noſtras ſententias & acta produxiſſe cenſebimur; verum in imo humanarum opinationum fundo, & Bonziorum Indicorum more cum fallaci aliquo vaniſsimæ laudis Idolo congreſsi, videbimur verba fundere, futura tandem nullius

nullius exiſtimationis, aut ponderis.

Quod ſi pondus, & vim authoritati noſtræ ex vera ſapientia ſapienter aucupari velimus, videamus, quo in loco eam inueſtigemus & ex eius domicilio, mose, modoque modum accipiamus, quo ea inueſtiganda alijs proponatur. Quis enim eſt locus, in quo ſapientiam vel loquentem audiebant, vel implorabant audientem antiquiſsimi Theologorum? propatulus ne, ac ſtreperus, an vero tacitus, & obſcurus? neque ſententia, neque verbis recedamus, obſecro, vos à ſacrarum litterarum volumine, hoc eſt, à velamine, præcipuo ſapiétiæ, vt certius illam teneamus. Sapiétia vbi inuenitur, petebat Iob, & reſpondebat ſibi. Sapientia traditur de occultis. non ea ſolum ſapientia, quam ſub ſole vidit Eccleſiaſtes, & quam mundi ſapientes abſcondunt, & quæ lucet in facie prudentis, & qua Salomon antecedebat omnes Orientales: ſed ea etiam, quæ dedit ſapientiam Salomoni; quæ ex ore Altiſsimi prodijt, & cum eo cuncta componens omnia fecit in ſapientia. Illa, quam intuitus Vates oculatiſsimus Iſaias, exclamabat: Vere tu es Deus abſconditus. nempe qui poſuit tenebras latibulum ſuũ; nubes, & caligo in circuitu eius; & puluis pedum eius nebulæ. Sed & implebat nebula Domini domum, vt ſcitis, in qua nihil nudum, & apertum erat, ſed omnia contecta accuratiſsimè, texit ſuperiora.

Salomon.

Salomon laquearibus cedrinis, texit pauimentum tabulis abiegnis, texit à pauimento ad ſummos parietes lignis cedrinis intrinſecus. intima verò Numinis ſedes nonne demiſſo velo occultabatur in occultiore tabernaculo, quod etiam tecto operiebatur, tectoque rurſus aliud impoſitum operimentum erat, & conſtituebatur dies eius ſolemnis in condenſis. ipſe Dominus modo inter Cherubim obumbrantia gloriæ, non detegentia pompam, ab Antiſtite audiebatur. modò inter Seraphim faciem eius, & pedes conuelantia videbatur à vidente propius Iſaia. ex antiquo ſcilicet more cum hominibus agēs de medio caliginis, ſicut Moſi dixerat, Veniam ad te in caligine nubis, & cum nubes operuiſſet montem ingreſſus eſt Moſes medium nebulæ, ibi Iuſtus erat ſtella, ſed matutina idest luce non clara: cum ſole ſuo, ſed in medio nebulæ, nec niſi in foramine petræ abſconditus videre potuit gloriam Domini tranſeuntem. Helias etiam cùm non ſub dio, ſed ſub inumbrante Iunipero quieuiſſet Angelum vidit: & cum ſe in ſpeluncam penetraſſet, audiuit paulò poſt loquentem Deum, operuitque continuo vultum ſuum pallio, quaſi diceret, Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, Gloria ſiquidem Dei eſt celare verbum, vt Dei prouerbium tulit, & verboſus ille amicus Iob & præpoſtere conſolatorius dicebat. ad me dictum eſt

verbum

verbum abſconditum , & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venam ſuſurri eius. at illa vena quid tandem promit? diuitias, & theſauros profectò, ſed latentes, & obtectos. & dabo, inquit, amico meo, theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum; quæ ſignificant, niſi fallor, notitias, ac dona cœleſtia clauſa olim cum ſtellis ſub ſignaculo, diſtributa vero deinde etiã in orbe terrarum, ſed latenter, nec niſi per vmbras. Lucet enim diuina fides, ſed in caliginoſo loco. in cœlum erumpit Theologica ſpes, ſed repoſita eſt in ſinu meo ſpes mea, canebat ſecum Iob, & ſuccinebat Deo ſuo Dauid. ſub vmbra alarum tuarum ſperabo. Flagrat ardentiſſimè charitas, ſed in cauerna maceriæ. ſic ſponſa illa, cuius bona laudantur imprimis quæ intrinſecus latent, & cuius omnis gloria ab intus eſt. patere propterea ſub dio, & ad ſolem non cupit, ſed ſedere ſub vmbra illius, quem deſiderauerat, illius, inquam, qui manna donat, ſed abſconditum, illius, qui etiam cum perſonam ſponſi gerit, hoc eſt cum effusè & apertè amare ſe profitetur, adhuc ſtat poſt parietem noſtrum, adhuc proſpicit per cancellos, adhuc inuitat ad foramina petræ; & in ſpecu quidem Bethlemitico coloratus humano ſanguine enituit, ſed in tenebris, dum medium iter nox haberet, & prope turrim Gregis offuſam nebula, quæ ideo nebuloſa filia Sion vocabatur, ibi

egreſſus

egreſſus per portam ad orientem clauſam permanere voluit in æternum, vt Ezechieli fidem dedit. Apoſtolo verò Thomæ fidem abneganti, verum eſt, apertum latus oſtenſum fuiſſe, ſed in abdito cætu paucorum, & cum fores eſſent clauſæ.

Verum extra fores, inquies, non ſolùm domus, ſed Vrbis, vt ſe omnibus ad docendum daret, habuit publicè Scholam Sapientia in Caluario, & in meridie profectò. Sed ecce tenebræ factæ ſunt, & obſcuratus eſt ſol. Magiſtrum quidem ſe præbuit Chriſtus, ſed intra vulnera, & latus effoſum. vt oſtenderet, ſe nonniſi ſapientiam quæ lateret intus traditurum. extra quas latebras ſcire quid tandem Theologus poterit: cum ne Paulus quidē Apoſtolus iudicaret ſcire ſe aliquid, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum! hoc eſt, habentem latibula vulnerum pro Gymnaſijs doctrinarum. ibi liberales artes, arte quadam compendiariaſideſt, ſilentiaria meditabundi homines edocentur. in eo ſiquidem excauato latere litteratorum vmbraculum extructum eſt, quod & Platonis antrum, & Academiæ vmbras, & receſſum Lycæi, & Zenonis porticum. & conclaue Iſocratis, & opacam Socratis ædem euidentiſsimè oſtenderet vel exigua eſſe, vel nulla præ documentis, ac præceptionibus, quas tradit in cruce, qui ſtultam fecit ſapientiam huius mundi.

Dominus

Dominus, inquam, ſcientiarum, cui præparantur cogitationes, non loquutiones. ibi loquendi ſtudioſus grammaticus addiſcet non ora loqui, ſed manus, ac pedes, cum ferro aperiuntur, ibi barbariem noſtram emendari animaduertet, non dicendo, ſed patiendo, imò emendatione vnius diuini Verbi, volumē integrum noſtrorum vitiorum eſſe correctum. ibi Rhetores perorare poterunt ſed lachrymis, & ad clepſidram ſanguinis. ibi dolorum hypotheſim, ad amoris theſim reuocare diſcent admiratione potiùs, quam oratione prolixi. ibi cognoſcet Philoſophus noſtram cùm Deo diſputationem concludi, non argumentorum cuſpidibus, ſed clauorum acumine. mittet, opinor, verba facere de natura; cum omnia ibi extra naturam. & ſupra naturam eſſe animaduertet. Sed ſapientia, quæ ſupra naturam vadit, à Theologiæ finibus non recedit. ita ſanè. ibi profectò ſapientiam aſſequimur: ſed nunquid propterea patentem, ac nudam? immò verò opertam ſtultitiæ veſtibus, vt Græci conquerebantur, & grauiſsimo ſcandalo circundatam, vt videre fuit in Hebræis; & vt eam experimur nos è Chriſti genere, amictam veſtitu illo deaurato charitatis, cuius fimbriam veſtimenti, ſi tetigeris, ſanus es. operit enim multitudinem peccatorum, hoc eſt, miſeros ad beatitatem perducit. Beati enim ſtatuuntur à Dauide, quorum tecta

ſunt

ſunt peccata. quod ſi & ſcientia, & virtus & beatitas nonniſi in abſcondito, ac ſilentij abſtruſo loco latet, quid illam inter verba palam inquirimus, quid illam per verba diſperdimus?

His, alijſque ſimilibus momentis ponderant præſentem controuerſiam ij, qui vel nullis, vel paucis, & laconica cenſura caſtigatiſsimis verbis ſemidocendam eſſe ſapientiam in tenebris, & quampauciſſimos auditores contendunt: ſed pauca iam, & luce palam audienda verba ſunt in verborum gratiam, quibus ſemotis nulla res lumen habere poteſt, vt aiebat ſupremum illud Oratorum lumen.

DE

DECLAMATIO V.

Sapientiam in vniuerſum explicandam, non occultandam eſſe.

SAtis ingrati, ac tenebricoſi digladiantur ſecum verborum oſores dum in ipſa verborum reprehenſione verboſi ſunt quomodo de ſapientia ſapienter lingua ſua ſe loqui nobiſcum putant, ſi ſapientæ ipſi linguam excindunt,& mutam faciunt. ſi eam ex luce, ac foro tollunt, ſi publico interdicto ex congreſſu hominum,& communicatione ciuili ſeiunctam in carcerem trudunt. victuram in tenebris ſine voce? Quomodo pulcritudinis eius notitias ingenerare nobis contendunt, ſi laruam obſcuram eius vultui ſemper obductam volunt? Sapientiæ ne fautores,& artifices iſtos dixeris, an carnifices, ac lictores? Horum certè munere infelici funguntur dum ſuis inuolucris, & ſilentiarijs

tiarijs

tiarijs velamentis caput eius obnubunt, & fauces obſtringunt, vt ſuffocent, credo, facilius, certiuſque trucident.

Qui ſermonem à ſapientia tollit, vitam illi eripit, ſpiritum eius intercludit. Quid enim aliud ſapientia eſt (Chriſtiani generis homines, & diuinorum oraculorum ſcientes alloquor) niſi ſermo Dei? quomodo ea niſi æterno Genitore loquente genita eſt, Verbum ipſum Patris? I nunc & ſine verbis, ſine ſermone ſapientiam diuinam in ſilentio ſtatue apud Chriſtianos ſi potes. Sed neque apud Hebræos poteris: ab ijs enim acceptum hoc eſt, apud quos ſermo, ac ſapientia rem vnam & eandem antiquitus ſonabat, vt qui ſapientes eſſent vocarentur loquentes: propterea inter ſcientiæ gnarum, & eloquentiæ peritum nihil diſcriminis ponunt, neque re, neque vocabulo Talmutici ſiue autores veteres, ſiue interpretes recentiores. Quorum etiam deterrimam nunc eſſe in rerum notitijs conditionem fatentur ipſimet doctiores Hebræi, quod ſuorum Patrum arcanam quamdam doctrinã, (cum ea neque ſcripto tradi, neque voce niſi paucisſimis diſtribui potuerit ex eorum lege) reſumere non valeant. maleficio temporum interceptam, neque iterùm contexere obliuione perpetua interruptam. Profecto ſi Dauidis tenuiſſent inſtitutum, & curſum, qui bonum verbum eructabat corde, & linguam calamum

lamum ſcribæ velociter ſcribentis effecerat, tantum ſapientiæ naufragium non feciſſent. Fecerunt autem, quia Synagogæ ſemper afflauit ſpiritus aſperrimus Aquilonis, quo præcipuæ Veritatis viæ occludebantur, & quicquid liquidum, ac purum erat, obdureſcebat.

Contra verò Chriſti Eccleſiæ bellè flauit ex Deo Auſter, mitis, & placidus laxamenti auctor ex voto illo antiquuo ſponſæ. Surge Aquilo, & veni Auſter, quo nimirum virtus diuini Verbi latens odorata bonorum expiratione recluditur & abſcondita à conſtitutione mundi myſteria reſignantur, vt ij, qui aut ſilentio premere, aut breuiſsimo gyro ſtringere ſapientiam volunt; ad Hebraicam legem & familiam pertinere videantur: in qua canes quidem multi alebantur, ſed muti, quibus magnum quid videbatur, ſi notus in Iudæa Deus eſſet, & magnum in Iſrael nomen eius: cum in Chriſti Republica præconibus Euangelicis illud eximiè laudi tribuatur. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Stirpes Iacob exigua domus erat caminū habens in Sion; Chriſti verò familia magna Reſpublica eſt, quæ forum habet Vniuerſum Orbem terrarum. Imò verò illud videtur præcipuum diſcrimen eſſe inter ſæcula legis & Moſis, atque gentium, & plenitudinem temporis Chriſti, quod illa ſacris ſomniorum obſcuri-

obſcuritatibus, & vaticinorum ænigmatum inuolucris, factorumque decurtatis nutibus indicata, & rudibus delineamétis impolite ſignata, vmbra quædam futurorum eſſent, & nox, & nubes, vt illuſtris diei nuncius Paulus perſæpe pronunciat. Chriſti verò ſæculum orto iam ſole ſcenam Veritatis, illuminat, nullas noctes illunes habet, nullas non pellucidas nubes, præteritorum declaratio clara eſt. & futurorum certa notatio. Et Sacramenta quidem veterum, quod rebus aliquibus conſtarent, & carerent verbis mutila, & inchoata ſolum emblemata ſanctitatis, & vt italicè loquimur, Impreſiæ ſine anima corporatę fuerunt: noſtra verò ſacra non tam figuris adumbrata quam factis, qua ratione tandem perficiuntur niſi accedente verbo ad elementum; vt loquitur Auguſtinus?

Quod ſi velum ingens, & aſperum obtexiſſe Numinis Arcam dicitur antiquitus inductuſque odoramentorum fumus, ac nebula ad opacandum locum veritatis fuit: propterea Chriſto regnum auſpicante palam in Cruce, velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Quod ſi intra muros vnius Templi plurima Hebræorum ſanguinolenta ſacra claudebantur: apud Chriſtianos vna eſt libatio animorum, quæ mundi etiam mænia trâſuolat. Lex timoris illi fuit, cuius munus eſt ſanguinem in anguſtum cogere, linguam in-

tra fauces conſtringere, mentemque ſtupidam red ere: ſed ſucceſſit imperium Amoris, qui profuſa quædam largitas cordis & linguæ eſt, & nuditas arcanorum. Quamuis enim aliqui putent Amorem, ideo Sophiſtam à Platone appellatum fuiſſe, quod callidus veterator abſcondat ſemet indeprehenſus, & inobſeruabilis: tamen Sophiſtæ nomine non verſutus aliquis cauillator ſignificabatur (cuti nunc vulgus interpretatur) ſed potius Rhetor diſertus & copioſior ad dicendum, qualem Gorgiam Leontinum, qui de quacunque re propoſita præclarè ſe dicturum ex tempore pollicebatur, inſectatus eſt Socrates vt maximum ſophiſtarum. Igitur ſi Amor eloquentiſſimus eſt, & elinguis timor, ſi vnius Paleſtinæ clauſtris, & ſtrictiſſimi iuris vinculis incluſa Synagoga fuit: Eccleſia verò Chriſti ſublatis interdictis libere mundi fines excedit: videant ij, qui tantopere verba damnant, & anguſtas latebras colunt, videant, an adhuc ſeruili iugo timoris oppreſſi vocem amiſerint: an manumiſſi in Amoris ditionem ſucceſſerint: videant an Chriſtianis ritibus acquieſcant, an ad Hebraicam ſectam & mores turpi defectione recurrant.

Sed quid ego latebroſos iſtos ſilẽtiarios hebraicæ factionis arguo, cum in ſuſpicionem ſuperſtitionis Deorum inanium veniant, dum eorum ritum laudantes, colere quoque poteſtatem videntur. Etenim in Paleſtinæ plaga, proximiſque terrarum

terrarum tractibus Idolorum conditio, & veri numinis ratio differebant plurimum, quod è ſacrario Dei vera, & certa reſponſa dabantur: ex falſorum autem numinum ſimulacris vox, vel vana, vel nulla redderetur. Vt enim legere eſt in faſtis Regum, ſacrificuli Heliſæo infeſti cum iteratis ſæpius clamoribus implorarent Baal, vox non reſpondebat eis. Vt autē audire eſt in cantilena Dauidis. Simulacra gentium argentum, & aurum, os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt: cui Vates alter ad eamdem chordam ſuccinebat. Lingua Idolorum à fabro polita eſt, & inaurata labia, vocem tamen mittere nullam valent. At in regionibus à Paleſtina remotis vbi procul à religione vera tanquam ab hoſte potentiore liberius praui Dæmones imperitabant, Oracula quæ antea non niſi flexiloquis, & obſcuris ſermonibus vtebantur, quales hi obſcuritatis factores tantopere celebrant, ſub Chriſti acceſſū obmutuerunt omnia ſtupido planè ſilentio, quod iſti tamen vt optimum ſapientiæ ſpecimen, atque inſtitutionem proponunt. Sicut enim vbi primum Aquilæ Cælum occupantis aduentus percipitur: conticeſcit ſubito cantus, & vox minorum auium, quæ ſe intra ſepes anfractuoſas, & ſpecus abditos coſternatæ recipiunt: ita cum Chriſtus, hoc eſt, ſapientia Patris in terras appulit; veſpertiliones illi male feriati. & impuræ noctuę

abdiderunt ſe ſe & lingua obtorpuerunt; vt aduerſarij noſtri cupiunt, & latibulorum mutorum amatores. qui etiam ſuam in ratiocinationem conferebant diſcrepantiam abſurdiſsimam, dum ideo tacere, ac latere Chriſtianos ſapientes volebant, quod Apollo, & Mars aliſque futiles,& deteriores hominibus Dij Chriſto aduentante conticuiſſent: ſimiles quippe nos eſſe volunt fictilibus, ac ficulneis Dijs, qui obliterantur, & tacent: Chriſto autem diſſimiles, qui Dei ſermo ſapientiſſimus eſt, & celebreſcit.

Quod ſi non aliam, quam elinguem ſapientiam, & opertam agnoſcunt, & colunt, inſcitiam Satanæ præferunt Chriſti conſilio: atque adeo cauere maximè debent, ne à Diabolo, quem recipiunt abrepti coſtrictis faucibus teneantur. Cui malo vnus eſt Chriſti ſermo remedium, qui etiam linguam exoluet, dum à conſcelerato Dæmone liberabit. repetendumque erit hic dictum illud, Et cum eieciſſet Dæmonium loquutus eſt mutus. Vt enim de ſe ipſa teſtatur ſapientia in codice Salomonis proprium eius munus eſt aperire ora mutorũ: ab ea quippe profectus eſt ille ſpiritus, qui diſpertitis linguis igneis efferueſcens in Sion, omni ſermonum genere potentes Apoſtolos reddidit, perque omnes terras effudit, vt myſteria Patrum abſcondita nota facerent, ac teſtata. Ac hi cogunt nos in appulſu ſapientiæ, tanquam

quam paſſeres, aut viles auiculas ad Milui conſpectum conticeſcere abditos in Gurguſtijs, ne dicam in piſtrinum, & carcerem actos, imo in ſedem Inferorum præcipitatos. In ſacris enim Hebræorum arcanis eodem vocabulò ſilentium, & pernicies, taciturnitas, & Erebus nominantur: ſic mentem aſſequeris Iſaiæ Vatis ſuper communi Patriæ excidio dicentis. Dominus Deus ſilere nos fecit, ideſt, interire permiſit nos. Quin etiam vbi Regij Pſaltis verba illa legimus. Niſi quia Dominus adiuuit me; paulominus habitaſſet in Inferno anima mea, habet hebraica interpretatio, fuiſſet in ſilentio anima, quaſi paruo diſcrimine diſtent ſilere, ac perire, tacere, & in Chaos inane perduci.

Qnid enim, ſilentium illud æternum tantopere concelebratum ab Aduerſarijs, ex cuius antegreſsione procreatio mundi conſectaria extitit, quid, inquam, tale ſilentium fuit niſi vacuitas, inanitas, & prorſus nihil! At poſtquam Dei ſapientia non ſilentio ſterili, ſed fæcunda loqutione hanc Vniuerſitatem explicuit, quicquid mutum vides, illud idem, & brutum eſſe animaduertes. Vnus homo tacentibus reliquis veluti communis Orator conditus eſt, ſi magno Antiſtiti Proclo fidem adhibeamus exclamanti. Verè omnia ſapientiſſimè fecit Deus: cum enim muta omnia in mundo eſſent, linguam, ideſt hominem illi elargitus eſt. vt plus humani-

tatis in pectore habere videantur, qui plus eloquentiæ in lingua gerant, contra quam obtrectatores loqutionis loquantur, qui tum ſi priuatam & publicam rem adminiſtraſſe recte putant, omniumque virtutum officio fungi, cum laconicam ſecurim Eloquentiæ faucibus infligunt, & Harpocratis cultro linguam excidunt. In quo quam peruerſis vtantur conſilijs multa exempla argumento ſunt: vnum, aut alterum afferam argutius, ne coargui poſſim prolixitatis.

Inſignis quidam Romano genere vir (Gneus Lentulus, niſi fallor, fuit.) cum rei familiaris parſimonia reſtrictiſſimus eſſet; auaritia tamen verborum magis tenuis, & parcus ad miraculum, atque etiam ad riſum fuit. Siuè quod pituita cum bile nigra linguam illi ferruminauerat, ſiue quod triſti quadam peruerſitate naturæ à commercio humano retraheretur. Verum quacunque ex cauſa id eueniret, cum optio neceſſaria illi dabatur vtra mallet vti verborum nè copia, an verò nũmorum: ſtatuebat potius nummum aureũ perdere, quã verbũ vnum proferre. Creditores habebat hic plurimos, quippe quibus nonniſi raro, ægre, ſemperque minus in pecunia ſatisfaceret. Sed neque verba miſeris ſaltem dabat, vbi enim neceſſe fuiſſet aliquid decernere vnum, aut alterum nomen ſine verbo, & conſtructione grammatica ſcriptum mittens creditori,

ditori, ſolutionem procraſtinabat. Sed neſcio quis acuto ingenio mercator vitiū alienæ taciturnitatis viam ſibi, & reliquis pecuniæ recuperandæ aliquam fecit: cū enim per difficillimos tandem aditus conueniſſet hominem, tam acri ſermone pupugit elinguem bouem, vt ad reſponſionem cogeret, quàm ille ne daret verbis, reddidit ſextertijs numeratis. Sed vocatus etiam in Ius ad Prætorē, neque enim ſubterfugere ſemper poterat, cum non ſcripto, ſed voce coram Iudice agendum eſſet, inter ſacrum, & ſaxum poſitus, poſt deliberationem aliquam ne cogeretur loqui, verba redimebat erogatione pecuniæ vel Syngrapha Domi vero vna, & eadem opera parſimoniæ ſermonis, & monetæ conſulebat. Si quis enim è ſeruis periodum, aut vocabulum longiuſculum protuliſſet: ieiunio indicto plectebat, eoque paulatim breuiloquentiam promouit vt nonniſi monoſyllaba vocabula audire vellet. Quin, vt ſermonem omnino deniq; tolleret ſed iuſta aliqua ex cauſa, cæpit omnem familiam frequenti allio copioſe paſcere, tum ſi quis loqui poſtea voluiſſet, vetabat, cauſatus oris graueolentem fætorem, ne ſcilicet alliati tam bene halitu peſſimi odoris Dominum, ac domum afflarent. Quod ſi vni ſeruo cum alio controuerſiæ aliquid apud ipſum fuiſſet, verberabat vtrumque, reum, quod iuſtitiam læſiſſet, accuſatorem, quod

ſregiſſet ſilentium, At quid inde ſequutū dicemus! Diffugientibus paſſim ex eius domo cunctis hominibus, ſoli piſces, credo, quia muti erant, in piſcina reſtiterunt. in horto vero talpæ, ac lepuſculi, ac vulpes remanſerunt, quod nullius pænè vocis illæ ſint, & nonniſi reconditorum cubilium cultrices.

Quid autem narratio iſthæc monet, niſi fugari homines, humanam ſocietatem euerti, & brutorum animantium vitam induci ab ijs ſilendi magiſtris, & hoſtibus orationis, qui quò magis ſeduló faciūt, vt nullus domi loquatur, eò ampliorem loquendi materiem ipſi præbent, vt de eorum ignauo ingenio, moribuſque præpoſteris in foro, & compitis diſſeratur: dumque ſe hominum gloriatione dignos putant, quod cuncta ſilentio ac tenebris abſcondere nouerint, & ſoleant: non animaduertūt palam indicare, ſe ex huiuſmodi propenſione nonniſi ad cuniculorum, leporum, vulpiumque naturam verſipellem & mores tenebricoſos pertinere.

Sed aduerſarij loqutionis, quibuſcum agimus, non ita fortaſſe omnes inſaniunt, vt velint homines adeo brutos eſſe, & linguam prorſus elinguem: ſed obſcuram, ac tectam obſcuritatem ſermonis anteferunt apertę, ac ſponte fluenti orationi, quod illa obtecta, & elimata vrbanitate ratio aulica loquendi tuta ſibi,

bona,

bona Reipublicæ, digna Principibus ſit. Cui ego ſententiæ vnum oppono Principem Tiberium Cæſarem, qui modo quodam incredibili habuiſſe verba in poteſtate dicitur nimio plus, quam tutum eſſet ciuibus, ac Reipublicæ. Cum enim mira ſemper circumſpectione, ſui muniendi vnam, & omnem rationem haberet; tot, ac tam bene compoſitas verborum præſtigias, & opertas machinas intendebat in ſenatu, & cum milite, vt fucum planè fecerit reſiduæ libertati Romanæ, Vrbemque, ac populum domitorem, ac dominum orbis terrarum ſeruire turpiſsimè coegerit timore correptum Tiberij, hoc eſt, vnius hominis timidiſsimi, qui eo felicitatem rei communis traxit, vt nullum iam publicum bonum eſſet, niſi Optimatibus exitium, aut ſummum aliquod detrimentum dignitatis afferret; ita præſtātiſsimi quique viri, quos ſibi conſiliorum gratia ſeligi à ſenatu per ſummam fraudem voluit, inter bona verba Principis fato peſsimo corruerunt omnes. itã ille cum ſocordis triſtitiæ, ac viliſsimæ patientiæ ſæculum inuexiſſet, cumque ciues mancipijs, ſummos infimis exæquaſſet; velut in area politicè complanata erectam Tyrannidis arcem, ac famam primus Cæſarum occupauit. At quibus artibus tandem? occultando mentem, modificando ſermonem, verba non effundendo liberè, copioſeque, ſed veluti

globulos venenato melle obtectos , & guttas inſidioſi nectaris inſtillando.

Quod ſi Chriſtus intelligendi, ac viuendi ſummus magiſter, vt aduerſarij adnotabant, non niſi parabolarum inuolucris occultata tradere ſolebat Hebræorum populo documenta ſcientiarum, ac morum: at illa ſuis auditoribus apertiſsimè explanabat, iubebatque, vt vbique terrarum latiſsimè vulgarentur poſtea, pro opportunitate temporum à Chriſti morte ſequuta feliciſſimorum. Nouum quippe Chriſti ſæculum, ſi æuum ſalutis eſt, non premendam ſinu ſapientiam, ſed ore fundendam poſtulat iuxta ſapientis antiquum effatum. Ne reticeas verbum tempore ſalutis. cuius etiam temporis inchoata maturitas in monte Sion auſpiciũ è Cælo habuit, nou muto aliquo ſigno, ſed diſpertitis linguis, non elemento aliquo concluſo intra breues limites, ſed igne per omnia vadente, non taciturna quiete, ſed facto repente ſono tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Ex quibus poſtremis conficitur, vt non ſolum diuini Verbi aduentum diſsimulare, ſed diuini quoque Flaminis aſpirationem ſfactam ignorare videantur reprehenſores verborum.

Qui profecto cum artem emendatè, copioſe, ſapienterque loquendi per ſingulas ætates, ac ſtudia vuulgauerint ſumma Orationis prolixitate, quam ipſi dãnare in

aliis

alijs, oportet, vt noſtram operam vocatam in crimen reſpondendo ſingulis breuiter tueamur.

DECLAMATIO VI.

Pueritiam bene loquendi artibus informandam eſſe.

RESPONDET

Declamationi Primæ.

PVeros non informãdos altioribus rerũ ſcientijs, ſed noticia faciliore verborum credimus, & incredibili hallucinatione decipi eos, qui contra opinantur. Cum enim ætas illa momenta rerum, ac rationum certo iudicio perpendere non poſsit; ea ſi puerorum animis ingeras, non adijcies, aut firmabis vires, ſed fatigabis, & opprimes. Cymba exigua in portu ipſo mergitur, ſi grauiores frumenti, aut prædæ cuiuſcunque opes, cum maioribus bellicis tormentis in eam, tanquam in onerariam nauim contrudas. Nemo ſanæ mẽ-

tis, aut diſcum, aut ceſtum, aut amentatam haſtam brachio infantili torquendam debet. Non extillant vrnæ profectò, niſi liquorem intus acceperint. ita ſanè. Sed quid doctrinæ, recipere poterit humanus animus, niſi auribus excipiat ſonos, & notitias verborum tranſmiſſas verbis magiſtri tanquam infundibulo ſapientię? Neque Grammaticam, ſed Rhethoricam ſimilem arti coquinariæ faciunt ſophiſtæ veteres: ſed fac etiam Grammaticos coquos eſſe, doctrinaſque dapes, quanam ſalis aſperſione condientur, niſi emendata diſtributione loqutionum! igitur niſi concinnare verba condiſcant pueri, inſulſum poſtea extruent conuiuium doctrinarum.

Semina dicebas ſilenter condenda ſulcis eſſe, vt adoleſcant in frugem: ſed ſulci ipſi ſinefindētis aratri ſtrepitu non aguntur. Scientiæ quidem ſpiritu viuere debet animus, vt Eloquentiæ tamē veſtibus exornetur: ſed ornamenta parabis antea, nec ſine veſtimentorum elegantia Regiam Principis adibis: ſic neque Reginæ ſapientiæ penetralia, hoc eſt, ſcientiarum Gymnaſia intras, niſi pura & nitida Grammaticæ veſte contectus. Fluuius dum primum exilit ſcatebris nihil fermè dat ſonitus, quia nihil ferè ipſe tūc eſt. ſed puer animum iam totum habet dum naſcitur. Quòd ſi natura bruta in puerperio fugit ſonores, ac ſtrepitus humana ſapientia à

pueris crepũdia ſonora largiri ſolet:cuius etiam partes ſunt linguæ natiua impedimenta tollere; hoc eſt, corrigere peccata naturæ. Neque ars exculpendi requiritur in inſtruendis pueris, cum eos non vt rudes truncos expoliandos inutilibus folijs accipiamus, ſed ſicuti tabulam eraſam quam coloribus, ac pigmentis formemus. Quod ſi garrulitatis vitio illa ætas abundat, quo remedio ſuccurrendum huiuſmodi malo eſt? qua ratione loquacitatem immodicam italici ſermonis inhibere poteris, quam ſi ad latinæ linguæ ſtudia, mentem, orationemque compellas! cum noſtratibus etiam adultæ ætatis hominibus magnam partem loquacitas adimatur ſi latine loquendum ſit.

At vel Cicadæ ipſę rore paſci mane ſummo debent, vt deinde ſtrepere poſsint in meridie. igitur infantes vbi primum deſierint lactè paſci, quod roris inſtar illis eſt; pueritiam iam ingreſsi, verbis reſonare iam poterunt. At generis humani parenres, cum primum ſcientiarum munere ditauiſſet parens illorum Deus, tunc enimuero eloquendi etiam gratia exornauit. quia ſcilicet adulta ætate florentes, condiderat. iam grauiori ſapientiæ idoneos, ac pares. cui quoniam immaturi pueri ſunt, inter leuiores verborum curas opperiri debent, dum aduenint maturitas illa ſciendi. Quis autem ſana argumentatione concluſerit infantes nuper in lucem

editos

editos, non lacte veſci, ſed pomis, & frugibus ali debere, quia Adamus olim, & Eua ſtatim atque prodierunt in ſolem, fructus, & poma infelici prægustatione libauerint.

Iam vero quæ pro ſilentij puerilis neceſsitate ad vitam ciuiliter traducendã ab aduerſarijs pluſquam ciuiliter dicebantur, reijciuntur facillimè. Quamuis enim difficillimum omni ætate ſit tenere linguã immotam, vbi commutatio ſumma rerum omnium in deterius fiat, quam commutationem fieri ſepiſsimè freqnens eſt querela multorum: tamen neque pueritia tantarum rerum momenta percipit; quibus ſilentio apud ſe premendis aſſueſcere poſsit, & à publicis illis altioris politiæ rationibus adminiſtrandis, & cognoſcendis amouenda eſt: nam qui ab ineunte ætate magna iſthec reipublicæ munia moliri animo, ac tractare oblectantur, tãquàm fructus precoces, vbi maturitas agendi deinde aduenerit, marceſcunt. Sic enim & conditio naturæ, & communis conſuetudo ſuſcepit, vt qui à pueris ſapientiores, quam pro illa ætate ſunt, ante virilem ætatem ſenes; annis deinde aucti grauioribus tardiores, ac ſtolidiores euadant. Quæcunque enim ſub luna ad maturitatem peruenerint, mox putreſcere incipiant neceſſe eſt, & vbi aucta fuerint, conſeneſcere. Quòd ſi priuatis incommodis perferendis, & toleranda mortalis vi-

tæ militia capere conſuetudinem ſilendi & exercitationem premendi animo curas puer debet: non hoc literarum officium eſt, ſed morum, ac virtutum inſtitutione curatur.

Sed quæcunque tandem inſtitutio illa ſit, curam præcipuam volunt verborum inimici traduci debere ad innatum illud, ac celebre vitium tollendum, in quod ætas parua propendet maxime. Hæc enim & arcana ſtatim prodit, & artem, ac mentem occultare non nouit. Sed iocari, ſed dolere libere cum quocumque & quacumque in re conſueuit. malum profecto euetus deterrimi eo præſertim fallaciæ, vt ipſi dicunt, ſæculo, quod cum altius vitia ebiberit, grato tamen colore virtutis expingit cutim, ſcenalem vultus probitatem anteferens animi pulchritudini.

Verum inquiro nunc tandem ab iſtis, an habenda in primis integritatis, ac virtutis ratio ſit in ætatis teneræ inſtitutione Nam ſi ad vtilitatem ab honeſtate diſiunctam educari pueros aduerſarij volunt; nimium quantum diſiungimur alteri ab alteris opinione, iudicio, voluntate. In aperto ſiquidem virtutis, ac dignitatis Circo noſtra omnis aurigatur induſtria, non per inſidioſa vada fraudis, ac ſimulationis velificamur in latebras politicæ peruerſitatis, Neque in labyrinthis Minotaurum educamus cum Dædalo, ſed cum Minerua in ſole, ac puluere Perſeum

ad

ad veram gloriam obarmamus.

Negari quidem non poteſt, quin inter tot cuiuſquemodi vitia, & tanta verſanti, neceſſaria ſit ſumma quædam cautio viuendi: ſed quoniam ad huiuſmodi acutam ſolertiam improuida illa ætas, ac rudis minus habilis, & accomodata eſt, in opere, ac labore profundioris prudentiæ teneri non debet improſpero euentu: ſed remouenda potius à foro, ac multitudine intra domeſticas curas, probatoſque ſodales: neque vlla ratione extinguenda in illis eſt ingenuitas, quæ præclaræ indolis ſplendor ſuauiſsimus eſt, & quodammodo virtutis aurora, quam ſi prauis fallaciarum ſeruilium inquinamentis, ac tenebris infuſcare velis, clarum diem gloriæ, ac dignitatis in adulta ætate ſperare non potes.

Quid autem, ſi Veritas ingenua non modo puerilis indolis flos quidam eximius & gratiæ comunis illecebra laudabilis ſit ſed in virili etiam ętate fructus vtilitatum afferat vberiores, quam ex fraudolentis artibus ſoleant proficiſci! vt hoc etiam nomine, non vitia introrſus acta veſtire imagine probitatis, docenda ſit illa ætas, ſed virtutem animi potius ſine diſsidio cordis, ac linguæ in actum veritatis expromere. Sanè cum fraudolentorum hominum artes latere diutius non poſsint in Aula præſertim, quæ oculatiſsima eſt, efficitur, vt non modo illi ſordeant in

exiſti-

exiſtimatione communi, ſed odio etiam grauiſsimo inuiſi, & ſuſpecti habeantur ſemper, eorumque familiaritatem, atque vſum tanquam venenatum aliquod ſerpentum latibulum omnes paulatim effugiant, ſi præſertim fucum ſibi aliquem factum deprehenderint. Contra verò eos qui non ficto officio, ſed aperta, & optima fide ciuilia negotia tranſigunt, à natura ipſa diligere cogimur; quos ſi ſceleſtorum hominum fraudibus, aut vi circumueniri, ac premi contigerit, non deſunt vnquam in Republica viri & genere, & animo principes, qui ne implorati quidem ſponte beneuolentiæ arripiunt patrocinium, & aduerſus manus fraudolentas, & impias cum fælicitate tuentur.

Eam ob rem ij etiam authores, qui de promouenda ambitioſorum calliditate tam accuratè ſcripſerunt, vt curam omnem veræ Religionis abiecerint; peruerſiſsimum Heroem illum ſuum, Sycophantam regnorum, & latronem publicæ libertatis, volunt ſine fuco, & fallacia primum verſari cum ciuibus, vt leuioribus è rebus maximam authoritatem conſequutus, reperiat deinde fidem, cum in re aliqua grauiſsima fallaciam intenderit, ex qua ſummum in Republica locum obtineat.

Non eſt igitur, ſeu virtute niteris, ſeu prauitate graſſaris ad gloriam, non eſt ſimplex, & candida fides extirpanda in

pueris:

pueris: ſed inſtar delicatæ ſtirpis ab externis injurijs defendenda, omnique opè firmanda aduerſus inertiam, & ſatuitatem, vitia fere ſemper pueritiæ colligata.

Sed virtutes illigari puerorum animis volebat Princeps inſtituendæ humanitatis Plato non ſermonibus Magiſtrorum, ſed mimorum ſaltationibus, quippe quæ & in cogitationem influerēt apertiſsima explanatione, & beneuolentiam extorquerent victrici quadam illecebra voluptatis. Ita quidem temperauit Plato rationem introducendę honeſtatis, vt miſceret ſemper vtile dulcibus, cōduplicans arma virtutis. Sed vbi ſpectacula iſthæc ſaltatoria inter progymnaſmata pueritiæ celebrat; de ijs pueris loqui videtur, qui propter imbecillitatem ætatis nondum tenere disciplinam exactam loquendi poterant: & ipſas ludicras ſaltationes corrigere ſatagebat, vt pueritiæ primæ non ad turpitudinem, ac leuitatem ſtimulos adderet, ſicuti fieri conſueuerat, ſed ad honeſtatem, grauitatemque morum actuoſis figurarum documentis oblectando compelleret.

Sanè cum puerorum ingenium ad perſpiciendas occultas rerum ſignificationes minimam habeant perſpicatiam: ad imitandos verò motus, ac ſonos, more ſimiarum, maxime habile, ac procliue ſit: ea propter ſi ſaltationibus mimicis quotidie interſint pueri: næ illi metaphorica, & ar-

cana

cana emblemata honeſtatis non arripient animis, ſed motus, ac geſtus mimicos corpore in actum dabunt ludibunda imitatione viſorum, atque adeo pueros noſtros, nō bene moratos ciues, ſed ioculares mimos, ac ludios quam primum reddet inſtitutio theatralis. Theatra igitur ad ſapientiam: atque virtutem adornentur: aſsidue tamē pueris exhibenda non ſunt, ſed raro, vt & Virtutis exiſtimatio, & pretium ex pompa illa agatur in maius, & imitationis mimicæ ſtudium ludorum infrequentia refrigeſcat, tanquam ignis rara ex materia languens, ac deficiens.

Sed æterni illi aſtrorum ignes (aiebant qui Cælum etiam pro caſtris ad verborū impugnationem ſumpſerant) non deficient, quibus mira motuum temperatione circumlatis in choreæ modum pueritiam mundi erudiuit Deus, infrequenti admodum vſus ſermone cum antiquiſsimis Patrum: fatebimur profectò ignes illos non deficere. Sed gutta mentis, & rationis aura deficiet nos ſi pro forma optima inducendæ Fælicitatis imitationi propoſuerimus infrequentiam diuinæ colloqutionis, ac præſentiæ, quæ ſupplicij loco euenit humano generi ex primorum parentum crimine proximè perpetrato. Satius fuerit imitari Deum, cum vetuſto crimine per Chriſti mortem deletto, diuini Flaminis aſpiratione in ſalutem noſtram ille ſolutus eſt, cum cæleſtium donorum

norum affluentia Cælum maduit inter ignes linguarum vibrantium, quibus Apoſtoli nouos eloquentiæ diuinæ fontes mortalibus aperuerunt.

DECLAMATIO VII.

Adoleſcentiæ facultatem, copiamque dicendi congruentem eſſe.

RESPONDET

Declamationi Secundæ.

SEd gaudeo hic nobis apertum eſſe aditum ex Grammatica ad Eloquentiam gradu ſcilicet facto ad magiſtratum illuſtrem verborum, quæ ſi de Rhetorum ſtudio auferas, coagmentare ſine cæmentis ædificium properas, & ſine chordis reſonare cytharam iubes. At quando loquendum eſt, breuiloquentiam laconicam pro Eloquentia ſuſtollunt in Cælum, & edoceri iuuenes volunt reprehenſores verborum

rum. Quid enim arte illa vanius (vt illi ratiocinātur) quæ pluribus efficere contendit quod paucis perfectum datur. Rerū certè naturalifi cauſæ rectis lineis hoc eſt breuiſsimis erūpunt in actum, & natura amare compendium dicitur, cui etiam vocabulo propterea opponitur dispendiū, hoc eſt, damnum, & pernicies. Quid iuuerit plures, & ingentes arcas opplere teruncijs, ſi potès vna, & exigua pixide paucos aureos maiore cum pretio cuſtodire? Auget pondus, & locum occupat, qui philippeos cōmutat in triūces, & obolos plus materię habiturus, quam fructus; ita qui ſentētiam diſsipat per verba quamplurima.

Sed ne nos diſperdamus vlterius verba; non animaduertunt hi breuitatis amatores, ſe non ſemper lacædemone, ſed Athenis etiam, ſed Romæ, & alibi præterquam Spartæ verſari, ac ſermocinari debere. breuiloquētia enim cum loco, & tempori congruit, laudanda in primis eſt, & verbis perpaucis vtendum eſt, ſed cum multa ijs quibuſcum agimus vel infenſa, vel minus, conſētanea argumento ſunt. Sanè ſi patrimonij caput & bona omnia vnam in gemmam collecta detineas, neque commutes in diſpertitam pecuniam pro foro & nundinis: artem pereundi fame inquiſiuiſti flexus in obliquum à veritate: rectis enim lineis actio naturæ progreditur, ſed in omnem ambitum à centro cauſæ latè diffun-

diffunditur, & recta tendit, non quia breuiſsimum iter amet, ſed vt ad remotius internallum perueniat: preuenire autem ad eloquentiam magnam non potę runt adoleſcentes, ſi ſolum paruis aſſueſcant & paucis. Eloquentiæ ſiquidem torrentes celebrari audio, non riuos, aut ſcatebras, & in Helicone flumina excurrere, non ſtillicidia minuta lacrymari reperio: poetarum etiam carmina ex benigna quadam ingenij vena fluere dicuntur non friari in ſabulonem, ac furfures. At magnum quid eſt, inquies, vnam in vocem mille ſententias vocare, & vno verbo centū argumenta redarguere. Magnum profectò, ſi Rhethorum verba ænei globuli eſſent, quorum vnus bellico tormento exploſus ingētes trahere ruinas poſſet. Sed ij, qui vna vocula harmoniam reddere nituntur: monotoni quidem erunt, harmonici eſſe non poterunt. Monochordon enim artem muſicam non confecit, ſed ruditer inchoauit.

Artis chymicæ Principes multorum, & maximorum corporum vires in guttulas contrahunt acerrimæ efficientiæ: ſed oratoriæ, ac poeticæ facultatis principatus in eo ſitus videtur, vt infimæ ſortis argumenta ad ſummam amplitudinem dignitatis prouehat, & inſtar optimæ terræ pro minuto ſemine centeſsimum afferat fructum. Ex nihilo nihil fieri, dictum antiquum eſt Philoſophorum, Rhetores

autem

autem vel ex nihilo trahere ingentem materiem gloriantur, pugnus arctè compreſſus dialectici hominis labor eſt: diductis pugnare cæſtibus Orator ſolet. Qui nonniſi ſummatim ſummas, & ſummaria colligunt, minutiarum ſupputatores ſunt: quos magiſtellos neſcio quis Comicus volebat habere ſcholas in amygdalæ nucleo ſortitus Epicuri atomos pro diſcipulis,

Mirum ſanè quid præſtaret Deus ſi mundum hunc ampliſſimum in exiguam nucem includeret: ſed quo fructu fælicitatis, qua gratia pulchritudinis! cum felicitas, ampliſsima bonorum complexio ſit: pulchritudo vero ſine magnitudine præclare non conſtat.

Sed neque ſecum ipſis conſtant rationes ab aduerſarijs adductæ pro contractione verborum. Quid enim ſi Phæbus reſponſa nonniſi breuiſſima dabat per Phæbadem! dabat enim & flexiloqua, dabat fraudolenta, dabat acta prius in furorem Pythia; nunquid igitur oratores oratione ambigua, & fallaci auditores in fraudem inducere ſemper debent? numquid & ipſi Baccantibus ſimiles alienari mente volunt, & furioſi fieri, ne ſint verboſi?

Scio & putari ſatiuas arbores, & agreſtes altius agere ſilentes radices, ſed quã ob cauſam tandem! vt ne ſterileſcant ſcilicet. Sed vberrime affluant in Autumno

præ

præparationem igitur adhibeat Orator, ſed vt rerum, & verborum copia affluens eſſe poſsit in tempore. Inopia ſiquidem mentis laborat, qui dubitat, an opulētia ſit magis expetenda quam parcitas. Parcunt vocibus vocaliſsimæ cæteroquin aues, noctesque longas dormiunt, ſed vt mane varios ad certamen emodulentur modos. Sed neque labori parcere, neque indormire cauſę debet Orator ad multam noctem vigilans, ſi de re propoſita velit variè copioſeque diſſerere. Quid ſi cicadæ matutino tempore conticeſcunt, vt meridiano perſtrepant! nunquid ad ſimilitudinem cicadarum Rhetorem tuum inſtituis! ego certe mauelim imitari Muſas, hoc eſt, omnium horarum cantrices eximias. Multiplex quidem illud machinamentum horarium, quod veluti Saturni tribunal promulgatis horis leges viuendi è turribus indicit, inteſtinos ſilentij operoſi labores exantlat, vt leuem ſonitum edat: ſed aliud eſt excutere fugaciſsima momenta temporum, aliud ponderare, ac metiri grauiſsima momenta cauſarum. Non negamus ſumendum eſſe ſpatium ad cogitandum ne fortuita in incertum fluat oratio; pernegamus tamen perenne ſilentiũ frequenti exercitationi anteferendum eſſe: ſicut enim ars armorum ludicra gladiatori, ac militi plurimum prodeſt: ita ludi literarij exercitatio vires Eloquentiæ acuit, & amplificat. Quin & tem-

poriara

poraria etiam ingenia nouimus quæ non accepto ſpatio temporis feliciſsime tamẽ ſpatiantur in argumento. habet enim & Eloquentia ſuos Dædalos, qui non paſsibus ſeruntur, ſed pennarum volatu, nec ſine cauſa Oratorem Deorum Mercurium alipedem fecit antiquitas.

Sed & quæcunque corpora in agendo præſtantiſsima ſunt, eadem videbis eſſe celerrima. Vix clareſcit ſol in exortu & iam mundi ambitus ex illo clarus, & illuſtris eſt. humanus animus tempore minime indiget, ita ſubita cogitatione allambit, & perſtringit Vniuerſa. Nolo commemorare ſuccos chymicos, & mirificas potiones, quas dum accipis, vel repentinam ſalutem ebibis, vel ſubitam mortem exhauris.

At tu mihi commemorabas authorem vitæ Deum, qui æternis tenebrarum ſæculis conticuit, vt paucisſimis tandem verbis initio temporum res vniuerſas in lucem daret. Sed nunquid inopia conſilij deliberationem in longum traxiſſe Deũ dicis? Quód ſi cauſam, obquam non ante ſex annorum millia ruperit otium publico negotio Vniuerſitatis, ignoramus omnes: nullus audeat eum ad ſuas partes trahere, ſed permittat etiam ſtare ab alienis.

Atque hæc de Deo quidem: diuinos autem viros poſt ſilentis vitæ quamplurimos annos publicis admotos colloquijs

 fructus

fructus Eloquentiæ retuliſſe maximos, fateor: nego tamen id humaniorum literarum vi conſequutos eſſe, quos vis, & impetus diuinarum cogitationum in tantas laudes euexit, ſed humana etiam authoritate pollentes vidimus viros grauiſſimos perſuaſiſſe populis quicquid vellet. aliud tamen eſt Oratoris finem conſequi. aliud illum aſſequi vna arte dicendi: neque enim in ipſa perſuaſione virtus oratoria ſita eſt, ſed in concinnãda illecebra perſuadendi. Ex cæleſtibus verò orbibus miro ſilentio tam rapide circumactis non perſuadebis Oratori, vt taceat: ſi enim tantopere ſilere nos illi volunt; cur inferiorem omnem natũram ſuis motibus ad ſonitum, ac turbas, ad tumultus perpetuè cauſarum agentium, ac patientium cogunt? Atque hæc quidem ſatis, opinor, cogunt aduerſarios; vt argumentationes aduerſus amplitudinem Eloquentiæ propoſitas infirmatas, ac dilutas iam eſſe fateantur, qui dum accuſationem ſuam concluſerunt picarum, & pſittacorum exemplis mirabilibus, verboſius etiam explanatis, quam verborum exagitatores decebat, noſtram cauſam perorauerunt: facto enim ipſo oſtenderunt explanationem verbis illuſtrem, qualem illi attulerunt in deſcribenda pſittacorum garrulitate, vtilitatis habere vim, cum lenocinio voluptatis, & ratione commonſtrauerunt præparationem mentis, & ratiocinandi ſtudium

dium tacitum apud ſe vel neceſſarium, vel commodum eſſe, ad noſtrum votum tamen, hoc eſt, vt ex commentatione diuturna non modo rerum gloria ſplendeat, ſed verborum affluens gratia effloreſcat.

DECLAMATIO VIII.

Philoſophiam non obſcurè indicandam, ſed perſpicuè explicandam eſſe.

RESPONDET

Declamationi Tertiæ.

SEd eloquentiæ floribus iam decerptis capere nos fructum Philoſophiæ non permittunt actores hi querelarum in verba:dum eam ingenioſis conuolutam integumentis abſcondunt in caueas obſcuriſſimorum ænigmatum; neque inter poma illluſtria candore, ac rubore conſpicua notitias Philoſophicas reponunt: ſed viliū

caſtanearum more aculeatis difficultatum inuolucris aſpera tactu mentis pabula proponunt: ſic qui aperire Naturæ theatrum debuerant, ſiparium obſcuritatis obducunt,& pulcherrimam veritatem, quæ gaudet lucido, & aprico, tamquam Proſerpinam ereptam è ſole, cum Plutone ſibi rapiunt in profundum.

Verum fabularum inimici Pythagorici quinquennale ſilentium vnicum eſſe veritatis inuiſendæ aditum credebant, & viam firmiſsimè communitam ad ſedem Virtutis. Quid ergo! rerum etiam principia, & partes, & efficientias Pytagoræi ſtatuebant in numeris, Philoſophiam cum Arithmetica concludentes: & tamen excluſi iam ſunt è cathedris, & Gymnaſijs, omniſque illis Mineruæ magiſtratus frequenti ſuffragio ſapientium abrogatus eſt. Quis igitur coget nos Pytagorici ſilentij ſeruare leges iam dudum reſciſſas? Quamquam & illi fortaſſe Diſcipulos non à priuatis colloqutionibus, ſed à publicis diſputationibus per quinquennium amouebant. Vix enim, aut ne vix quidem ſtolidos ab ingenioſis, ſtudioſos ab inertibus, doctos ab indoctis auditoribus, & quis eorum plus, minuſuè proficeret, aut nihil, potuiſſet præceptor internoſcere: ſi ex æquo muti omnes inſtar piſcium in viuario fuiſſent. Abſoluto autem eo quinquennio, quid tandem Pythagoræi, quid ante illos Egyptij, quid Cabaliſtici, & Gymno-

Gymnoſophiſtæ,ac Druidæ, cæterique externarum diſciplinarum Principes, qui nullam de ſe, ac ſuis cogitationibus literam reliquerunt: quid, inquam, ſibi gloriæ adepti ſunt, quid vtilitatis poſteris intulerunt? Non illi oſſa, & cineres corporum,ſed animorum partus, & vitam mentium ſepulchro, ac tenebris ſua reticentia condiderunt, ne relicto quidem titulo ſuorum nominum in tumulo, ſtirpibus ijs non abſimiles,quæ cũ ſoli non exponũtur, multum quidem habent obſcuritatis ex vmbraculis foliorum; fructum verò nullum maturant. Quanto meliore loco dignitatis, quanto ampliore ſcientiarum prouentu Reſpublica literatorum ſtaret,ſi diuerſiſsimas illas, & tanto ſtudio elaboratas variarum rerum doctrinas conſignatas commentarijs præ manibus, ac mentibus habere poſſemus! Sed illi ſiue inuidia, ſiue ſocordia, ſiue importuna veritatis auaritia laborantes,ſua ſecum omnia ad Inferos deportauerunt, nec nobis vſui nec ſibi gloriæ quicquam relinquentes.

Quibus etiam nec meliores ſunt mythologi Græcorum: qui naturæ præcipuas cauſas,& opera incluſa fabulis poetarum credunt, amore allegoriarum peccantes potius,quam flagrantes ſtudio Veritatis. Sicut enim naturæ ſecreta ibi ſe venari, ac reperire dicunt, ita & mores hominum, & hiſtorias temporum, & quicquid volent expiſcari poterunt. Quia

nimirum

nimirum ſimilitudinibus obliquatis, & ingenioſe detortis illa confingent ibi de ſuo Nihil fictum, aut mendax, ſed veriſſima, ac certiſsima omnia Vates veri Numinis olim implicabant tropis, & figuris obſcurioribus implicabant, fatemur: propterea igitur explicari debuerunt poſtea, ne latentia deperirent: ſicuti & Natura ipſa quia præſtantiſsima quæque abdidit, ideo ſolers ingenium homini dedit, quo abditiſsima quæque in lucem extrahere ratiocinando poſſet, ac deberet.

At illud enimuero noſtrum crimen neque abdi poteſt, cum nimis illuſtre ſit, neque aboleri debet in tenebris obliuiosè quia noxium permultis videtur. Nimirum quod Ariſtotelis verba, & mentem ediſſerimus: hic enim ſolitarium & cæcum ſcribendi genus, quaſi ſubterraneum iter ad Veritatem ſubſtruxit, vt clam ſe ſe ſubterduceret à conſpectu. Nos verò interpretationibus, & explanationibus ampliſsimis eius opera illuſtramus; hoc eſt ab Imperatore transfugimus, & diſcipuli ſupra magiſtrum ſapere gloriamur.

Admirabilis profectò Viatorum querela hæc eſt, culpare Duces, quod vias impeditas, & interclusas aperiant, ſalebriſque aſperrimas argutias, & abruptas veluti cautes in planitiem latam, & facilem æquent, quòd in denſiſsimis nubibus nocte ſtellas illuſtres accendant. Sanè ſi Ariſtoteles eo conſilio genus illud ſcriptionis

tionis vſurpauit, vt nemo hominum interpretaretur quod ſcriberet: nequicquã ſtylum contriuiſſet, ac tabulas: ſi libros ſuos de Phyſico auditu protulit, vt nemo quicquam audiret, aut audiens cuncta, nihil animo perciperet: ad inanimes, & rationis impotes, ad brutos planè diſcipulos verba, & commentarios direxiſſet. Merito igitur rerum naturam, & naturæ hiſtoriam parcè, & obſcure breuiſsimis libris ab ipſo colligatam pluribus, & illuſtrioribus literis ſoluere, & explicare debemus, ne tam inſignis opera incomparabili dãno poſteritatis intereat. Quod autem de ſubtilitate nobis obijciebatur nimio plus in Philoſophando minuta, quã Philoſophorum noſtrorum vel habilitas capiat, vel Philoſophiæ dignitas patiatur, quæ in anguſtum coacta, & extenuata gracileſcit ſine ſucco, & ſanguine, expeditur facile. Aliud enim eſt opiniones vulgi proſequi in concione forenſi, aliud veritatem in ſcholis diligenter inquirere cum ingenioſiſsimis quibuſcũque. Neque Philoſophiæ dignitatem imminuimus minutiſſimas quaſque eius particulas obſeruando, ſed in maius agimus æſtimationem eius, & pretium; auri ſiquidem optimi vel exiguos quoſque pulueres & arenas colligunt ſapientes artifices, vilium autem metallorum ramenta etiam magna contemnunt.

Sed argumentum loco poſtremo colle-

ctum ab Aduerſarijs neque habere contemptui volumus, neque eludere fortaſſe poſſumus. Philoſophiam quippe docemus ab humanis inſtitutis, & commodis alienam, non modo ſeiunctam à moribus ſed quæſtionibus etiam de natura rerum minime ſatisfacientem. Generales enim quaſdam motus, & quietis, cauſæ, atque effectus, temporis, & loci rationes, perſequimur, de peculiaribus verò lapidum, ſtirpium, animalium, ſimiliumque corporum naturis nec verbum, nec literam tradimus, quarum tamen cognitio & ſuauior, & vitæ ſocialis vtilitatibus accomodatior eſſet.

Sed hi dum vera dicunt in nos, non animaduertunt quam pro ſe minus proſpicienter loquantur: oſtendunt enim ne remoto quidem ex interuallo vnquam vidiſſe, cuius coloris Philoſophia ſit. Eius enim vniuerſæ exquiſita particulatim notitia non triennalis induſtriæ ſpatio, ſed neque ſæculorum ſtadio, imò vix æternitatis curriculo continetur. Quis enim Vniuerſitatis huius infinitam prope vim, ac naturam cognitione comprehendat, cum nullus ſit, qui ne vna quidem in diſciplina (qualis eſt eloquendi, modulandi, medendi ars) poſt ætatem continenti labore perfunctam, omnes planè particulas facultatis, ac veluti angulos magnæ domus ita notas, ac perſpectas habeat, vt nihil noui admirandum illi, meditandum,

ac diſcendum ſuperſit in dies. Quis in Gygantæo corpore næuum omnem viderit, & poros, & capillos omnes enumerauerit. Quoniam igitur explere votum immane ſciendi omnia, humanæ opis non eſt: opus erit prudentiæ ſingularis ea primo loco tradere, quæ generaliter neceſſaria ſunt, vt ſi quis omiſsis cæteris curis, ad Philoſophandum omni ſtudio eniti voluerit, poſsit vel per ſe ipſum peculiares inueſtigare cauſas, vel intelligere quæ legerit apud experientes & probatæ doctrinæ Philoſophos.

DECLAMATIO IX.

Theologiam non ænigmatis obſcurandam, ſed explanationibus illuſtrandam apud idoneos authores eſſe.

RESPONDET

Declamationi Quartæ.

SEd Philoſophorum noſtrorum cauſa probata iam ſatis eſt, niſi me fallit amor properandi ad Theologos, quorum quia ſigna ſequimur, caſtra etiam tueamur neceſſe eſt. Intima ſiquidem perrumpere tentant aduerſarij, armatis partim vera Religio-

Religione, partim nefaria ſuperſtitione, copijs exemplorum. Theologorum enim ſtudia ſacra ſunt: ſacra vero etiam impiarũ gẽtium inter ſilentium, & arcana quædam ignota peragi conſueuiſſe dicunt: nos verò addimus & ſonitus tibiarum, & cantiones phrygias, ac peregrinas adhibitas etiam fuiſſe. Malè audierunt onerandi etiam ſupplicijs Poetæ quidam illuſtres, quod in Theatro, & foro concepta ceremoniarum verba profanis, & vulgaribus hominibus paſsim diuulgauerunt: nobis igitur merito gratia habenda eſt, quod Religionis arcana procul à vulgo in exedris ſapientum, & ijs tantum impartimur, qui ſe à profana voluptate, ac luxu totos ſeſe ad intelligendam, & colendam Religionem tranſtulerunt.

Quod ſi Hebræorum Sacerdotum maximus ſanctuarium ſilens obibat; nos qui alia obimus munera, in ſacrario ne myſtæ ſumus, an in Gymnaſio Præceptores! labia Sacerdotum cuſtodire quidem ſcientiam debent; nunquid vt marceſcat in peccatore! imò vt collecta magis pro loco, ac tempore, affluentius impartiri poſsit mortalibus. Neque labra tamquam arcis ſapientiæ mœnia cuſtodienda mihi dicas eſſe ſilentio per noctem obſcuram, niſi prius Iſaiam audias aſſerentem. Super mũros Ieruſalem conſtituti ſunt ſacerdotes, tota die, ac nocte non tacebunt. At labia ſaltem ſponſæ hoc eſt mentis Deo

plenæ ſicut victa coccinea ſunt. *Sint ita* ſanè. non autem vt ſermonem adſtringant & claudant, ſed vt verba ſilentio innodata facilius ſoluant; vittarum enim vincula tenuiſsima ſunt. propterea fune quidem os Leuiatani ligabis ex Iobi pronunciato, ſed Verbum Dei, teſte Paulo, non eſt alligatum: velociter enim currit ſermo eius, quo tangente linguam muti hominis, ac dicente. Adaperire. ſolutum eſt vinculum linguæ illius, & loquebatur rectè.

Scio equidem ſponſi cæleſtis labia, hoc eſt eloquentiæ eius vim, & gratiam in Cantico principe Canticorum comparari lilijs myrram primi ordinis inſtillantibus. Labia eius lilia diſtillantia myrram primã. quaſi diceret, vt quidam interpretantur, labia ſermones non niſi breues, ac raros more ſtillarum, ſpargebant. Sed ijs Canticorum verbis parcitas ne ſermonis, an ampla dicendi copia indicatur! ſanè Homerus magnum indicium affert pro Eloquentia fluente largè. Oratores enim quos ipſe diſertiſsimos facit, veſci ſolitos dicit herba Iride, quæ purpureo colore tincta, liliumque rubrum appellata, credebatur hominibus illa paſtis eloquentiam conciliare, ſicuti vinum etiam generoſum temperate hauſtum homines diſertos reddere conſueuit. Lilium ergo, de quo agit in eo carmine Salomon iris illa videtur eſſe facundiæ procreatrix, qua proinde

notatur

notatur eloquentia latè affluens, non à breuiloquentia mutila, & decurtata. vt ſententia hæc ſit. Sponſi labia lilij hoc eſt herbæ iridis & colorem præſeferunt ob venuſtatem, & emittunt halitum optimum ob facundiam. ſiue labra eius loco floris huiuſce ſunt, hoc eſt non indigent adſcito colore, aut cibo eius eloquentiam conciliante, cum per ſe ipſam ſponſus eloquentiſsimus ſit.

Certè Chriſtus Dominus, qui & ſponſus ille celebratus in Canticis eſt, dicendi genere non puſillo, contracto, & laconica præciſione reſecto delectabatur, ſed fuſo, & amplo inculcante veritatem, non indicante ſolum, afferente pluribus id quod vno verbo ſignificare potuerat, vt cum dixit. De corde exeunt cogitationes prauæ, atque alia quæ amplè ibi commemorat. Nonne poterat laconicè dicere. Omnis ex corde nequitia. at ille verba plurima attulit, quæ ſi quis aut fuſa laxius aut minus verecundè dicta putauerit, videat an anguſtulus ipſe ſit, & verecundia vitioſa ſubruſticus.

Sed laborat iniurijs, noſtris fortaſſe ſponſa illa nobilis Cãticorum dolens, quod pallium ſibi detraxerint cuſtodes murorum: non opinor tamen ob nuditatem: ſi enim hanc tantopere aſpernaretur, cur dicentem illam audiuimus: expoliaui me tunica mea: quomodo induar illa! Quod ſi prima omnium tunica Deo textore con-

feсta

ſecta humanæ gentis authoribus tradita eſt, vt admiſsi primum ſceleris deformitatem operirent. at Innocentia Paradiſi ornatu ſuæ pulchritudinis contenta, veſtimentorum impatiens erat: nos, dum velamentum detrahimus ſapientiæ, nonnè illam ad ſtatum integritatis priſtinę reuocare contendimus! Verum eo potiſsimum nomine pudor eiuſdem Nuptæ cæleſtis laude conſpicuus eſt in Amorum Cantico, quòd nonniſi velato vultu prodiret foras imitata malum punicum grana ſua cortice obtegens, quaſi cuſtodiens verecundiæ clauſtro pulchritudinem, pulcherrimum ſanè morem, Virginei amoris autorem eximium: ſed vbi inter profanos, & de rebus non ſacris agitur. Vbi enim religionis agitatur cauſa, in qua vna ſemper verſatur Theologus, & Nuptæ, & Virgines aperta fronte Veritatem profiteantur oportet.

Huius rei exemplum illuſtre Sotheris Virgo ſanctiſsima præbuit: cum enim ætatis amœna viriditate, & formæ lectiſſimo flore ſplendeſceret, vt pulchritudinis vehementiam temperaret, & quaſi vallo quodã, & aggere muniret caſtimoniã, velata ſemper facie domo egreſſa publicum dabat non ſpeciei ſpecimen, ſed modeſtiæ ſingularis theatrum. Vbi verò aliquando in ſapienti Potentiorum cætu de religionis veræ, ac falſæ diſcrimine inſtitutus ſermo fuiſſet: enimuerò illa di-

ſiecto

ſiecto velo, & aperto pariter vultu & corde Chriſtianam ſe profeſſa, deque rebus diuinis eloquuta diuinitus, Theologiæ noſtræ temporariam ſcholam aperuit. Nimirum vbi de Religione cum idoneis auditoribus agitur, obduci integumento veritas non amat: ſed in ſtar præſtantiſsimæ puellæ Sotheris vultum expromit ardore zeli pro purpuriſſo flãmantẽ, eo modeſtior iudicanda, quò confidentius non erubeſcit Euangelium, & tamquam viuidum auroræ ſydus extra noctem promitur, diſcuſſa caligine, roſcidiſque guttis gemmante primo diluculo.

Sed gemmas magni theſauri profundimus verborum prodigi, vt ſilentij fautores criminamur: dum ſapientiæ ſacræ partes omnes ſubtiliſsima explanatione diuiſas veluti teſſeras, ac miſsilia ſpargimus in theatro, ſiue potius tamquam merces imminente naufragio diſpergimus. Fatemur quidem igitur ſapientiæ ampliſſimum theſaurum eſſe: ſic enim Oracula diuina profantur; in quibus tamen & illud reperies. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque! Propterea ſapientia ipſa tamquam liberalis Domina theſaurum ſuum non auare condidit, ſed manum ſuam aperuit inopi, & clauis Dauid cum ſit, quando aperit, nemo claudit; aperti vero ſunt Theſauri eius; dedit enim dona hominibus. Arguimur hic

autem

autem, quod ea dona diſperdimus, dum argumenta ſacra vulgamus hoſtibus Eccleſiæ, qui ea ſurripiunt, ſuppreſſaque ſolutione contra catholicas veritates obarmant. Arguenda igitur & natura eſt, dum ſuauiſsima amœnitate florum ſpirantia prata prætexit, ex quibus tot venena conficiunt malefici generis animantes.

Sed nos ope veſtræ humanitatis adiuti venenum omne iam extraximus ab aduerſariorum noſtrorum telis in noſtras acies coniectis. Vnum contorquebatur extremo loco inuſitatum iaculorum genus ex armamentario diuinarum literarum deſumptum, acres inde ſententias ſacris in nos conglobatis vocabulis immittebant, vt oſtenderent ſapientiam, non niſi latebris, tenebriſque ſilentibus oblectari.

Sed non animaduertunt ideo dici diuinā ſapientiā latere in caligine, ac ſilentio; quia dum mortali nos concretione materiæ ſuffuſos mentis oculos, & linguas habemus: quamuis aut illam ſequentibus oculis aſſequi, aut loquendo explanare pro dignitate conemur: ſemper eam tamen infinito interuallo remotā quodāmodo abſcondi, nec videri per ſpeculum in ænigmate, neque enarrari, cū inenarrabile vel ipſum nomen eius, iuxta verbum illud Dauidis. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, quia non potero ad eam. Ex quo profectò non abſterreri ab eius laudibus, ſed inuitari po-
tius.

cius debemus, vt quantum fieri poteſt, eius latebras, ac tenebras, hoc eſt, noſtras vmbras imminuamus. Ipſe enim lux eſt, & lucem habitat inacceſsibilem, quam tenebris ſuis comprehendere contendebant aduerſarij, dum ex diuinis paginis dicta religione pleniſsima compoſuerunt.

Neque enim ita dicitur ſapientia ſe ſe abdidiſſe in tenebroſa & taciturna latibula, quin ſimul claro ſonitu, & intermicantibus ſignis illuſtribus certam aliquam ſui aduentus, & præſentiæ ſignificationem daret. Vt enim Dauid ſignificabat in Cantico. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius; & tenebræ non obſcurabuntur ab eo.

Imo verò ſi beneuolétiæ veſtrę collibitū eſſet, vt etiam nos ex arcano religionis verę tabulario ſententias & verba in rem noſtram adhiberemus: res aperta iam foret, illuſtri ſemper aut luce, aut ſonitu vel inter medias vmbràs, ac receſſus in apertum ſe dediſſe ſapientiam.

Ipſa enim eſt ſermo Dei, & Verbum Patris, & Altiſsimi filius Vnigenitus, non in die caliginis, ac tenebrarum, ſed ante luciferum genitus in ſplendoribus ſanctorū. ille ſplendor gloriæ, & candor lucis, lux faciens de tenebris lumen ſplendeſcere, & illuminans vuultum ſuum ſuper omnia, quæ Pater faceret. Neque enim lucem illam

accen-

accendit Pater, & poſuit ſub modio cum foras exijt, vt ſex diebus operaretur primum in Mundo: ſed introduxit primogenitum in orbem terrarum cuncta componentem ſecum, & ea voce *Fiat* ſæpius iterata, loquentem cum omnibus, illuſtrantem Singula, aperientem vniuerſa. Verbo ſiquidem Dei Cæli firmati ſunt, & manus Excelſi aperuerunt arcum in nubibus ſpecioſum. Deus Cæli eſt, & Mare aperuit, & reuelata ſunt fundamenta terræ: in profundo ſunt quidem mirabilia eius, ſed reuelat & profunda de tenebris, apparuitque arida, quæ parata illi ſedes fuit ex tunc, tamquam incolæ mox in conſpectum mundi venturo.

Sed antequam daretur in lucem gentium lumen illud indeficiens paratum reuelari in nouiſsimo tempore, numquid in tenebris conticuit, numquid occultauit ſe in abſconditis? imo verò Adam & vxor à facie eius abſconderunt ſeſe. Dominus verò paradiſum inambulans cum ſonitu auræ leuiſsimæ non abſcondit verbum ab illis; ſed fructu ligni male paſtos pellicea tunica cinxit pollicitus conterendum caput ſerpentis, hoc eſt, ſe ſe olim pro nobis palam nudandum vulneribus apertis in ligno.

Iam verò quotquot Angelorum ſeu viſa, ſeu monita vigilantibus, aut ſomniantibus olim Patribus euenerunt, ea Diuini Verbi vel præſentia, vel nomine,

vel

vel argumento oblata fuiſſe quis dubitet? Illius ergo verba hæc erant. Num cælare potero Abraham quæ geſturus ſum? & per noctem quidem luctabatur Iacob cum Domino, ſed vidit illum facie ad faciem, & continuo ortus eſt ſol. reſplenduit etiam ſemper Iob lucerna eius. & Moſes quidem abſcondebat faciem ſuam à Domino: ſed hic in flamma ignis de medio rubi conſpicuus nomen ſuum manifeſtauit illi. Sinai mons fumabat in vertice: ſed lucebat Dominus in igne deſcendens. Columna nubis ita pro vmbraculo Iſraelis fuit, vt luceret etiam eis per noctem.

Cui deinde Prophetarum non apparuit in viſione, non reuelauit auriculam, non aperuit aurem, non reuelauit Myſterium, non aperuit os, non fecit verbum, ac ſermonem? Donec ſermo ipſe Omnipotens de regalibus ſedibus venit. Cuius aduentum Eloquentię magiſterio nobilem futurum intelligens Iſaias dicebat; lingua balborum loquetur velociter, & planè aperientur oculi cæcorum, & aperta erit lingua mutorum. Muta quidem erant omnia, & medium ſilentium tenebant, cum venit. Sed ecce facta eſt multitudo cæleſtis militiæ laudantium Deum. Obſcuro in ſtabulo noſter Sol occultus iacebat; ſed ſtella eius clarè iam in Oriente fulgebat. Latuit quidem diuinitas, ſed apparuit benignitas ſaluatoris, qui verba

æternæ

æternæ vitæ habens in hoc natus eſt, vt teſtimonium perhiberet Veritati: ideo eructabat abſcondita a conſtitutione mundi, in occulto loquutus nihil.

Quod ſi viuens venit in lucem vt oſtéderet ſeſe mundo; nunquid moriens odiuit lucem, & mortuus eſt in occultis! Extra portam paſſus eſt, in medio Gentium. Neque enim in angulo quicquam eorum geſtum eſt, vt aiebat Paulus Agrippæ. Sed neque Verbum ſubtraxit, cum vita illi ſubtraheretur à morte. Verba enim vel cum latronibus, & hoſtibus habuit non contentus alloqutione Matris, & amicorum, quam etiam ſemel atque iterum emiſſa ad Patrem voce magna conclusit. Sed aperuerat etiam ille totidem ora, quot vulnera, & toto etiam corpore, omnibuſque membris omnes animorum noſtrorum partes compellarat vehementer ac dulce compellens. Mox, gelu mortis linguis hiſce rigentibus, lancea latus eius miles aperuit, vt vni cordi enudato, hoc eſt, ſine fuco, & fallacia loquturo omnis amandi peroratio reſeruaretur. Neque in vmbraculis argutorum Rhetorum declamauit, ſed in acie, ac puluere, ſed in concurſu hominum, ſtrepituque non fori, ſed Mundi ex omni natione, quæ ſub Cælo eſt congregati. Sed tenebræ, inquies, factæ ſunt ſuper omnem terram, & obſcuratus eſt Sol. quid inde! tantum luminis ab extincto

noſtro ſole fulſit in Cruce, vt vel ipſi cæci protinus viderint, in quem transfixerunt.

Quòd ſi factum eſt in Cælo ſilentium amare flentibus Angelis Pacis; at tumultu conſciſſarum rupium, & quaſſu montium vniuerſa terra Domini laudes inſonuit. Si ſpiritus ille, quo viuimus, cum expiraſſet clamore valido, & lacrymis conticuit; vna illa voce, qua exclamauit ad Patrem, nouum quoddam genus intelligendi edocuit Centuriorem, ac turbas, vt qui moribundum hominem deſpectui habuerant, eundem iam mortuum filium Dei agnoſcerent, colerent, celebrarent.

Sed ille ſepulcro erutus, amictus lumine immortalitatis ſicut veſtimento, non effugit conſpectum mortalium, nec dedignatus eſt ſermocinari cum ſuis; ſed præbuit ſe ipſum viuum in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei, in quo ſedens ad dexteram Maieſtatis, ne apud nos refrigeſcente charitate multorum Diuini Verbi verba languerent; miſit ſpiritum Magiſtrum linguarum ardentiū in Sion, vt ſermo & ſplendorem haberet veritatis, & ardores Honeſtatis accenderet, quibus ardoribus initiati Apoſtoli eloquia ignita Domini loquebantur, & miniſtri facti ſermonis, prædicauerunt vbique Domino non ſilente, ſed ſermonem confirmante ſequen-

tibus

tibus ſignis, in non terris modo, ſed in Cælo etiam, vbi vnus Agnus occiſus dignus eſt aperire librum, & ſoluere ſignacula eius; Cuius, credo, reſidui ſermones illi fuerunt qui Danieli & clauſi, & ſignati ſunt, ſed vſque ad præfinitum tempus, vt non obtegerentur in ſæcula, ſed paulatim per partes Chriſtiani magiſterij aperirentur, donec in ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam, quæ non eget lumine lucernæ, nec luce ſolis, cuius nec portæ claudentur per diem, & vbi aperta ſunt omnia, tranſlati, qui ſcripti ſunt in libro vitę, clare, dilucideque perdiſcant, & in æternum laudent magnum illud α & ω, hoc eſt initium, finemque Verborum.

IN

INCARNATIONIS Myſterium.

Siue

Chriſtum Dominum Paradiſum eſſe Voluptatis, ex dicto veteri S. Thomæ Aquinatis Præfatio.

Ad Tractatum Theologicum de Incarnarione Verbi.

Altiſsimę doctrinę Theologum Thomam Aquinatem dicere accepimus (Patres Religioſiſſimi) videri ſibi cũ ad Myſterium concorporati nobis Dei Theologicè tractandum aggrederetur, ad amœniſ-

ſimos

ſimos hortos, ipſum ad Pomarium ſapientię nobiſcum deliciantis, hoc eſt ad Paradiſum Voluptatis accedere. Huius ego Magiſtri ſuſcepturus poſtmodum imperium docendi, primum hodie prefandi auſpicium libens accipio, partim, vt ad Myſterium tam difficile, & arduum ſtudioſe cognoſcendum, tamquam ad Paradiſum deliciarum inuiſendum auditores noſtri deducãtur facilius, partim, vt Chriſtum Dominum, iucundiſsimum illud diuini Amoris viridarium, quod impenſo ſtudio colendum operarijs noſtris erit hoc anno toto, breuiſsima nunc inambulatione, vna cum honorarijs hiſce primi nominis, & authoritatis hoſpitibus, perluſtremus.

Accedit, quod in Panegyri maxima nudius tertius Orator anteſignanus primum Vniuerſi Literatorum exercitus vexilium Paradiſum verſus invexit, dum ſapientię ſtudium, ac laborem Paradiſi cuiuſdam eſſe culturam docuit: non decet autem triarios nos à ſignis recedere; ſed inſtare loco, & grauiorem etiam armaturam inferre. Imo ſi Eloquentia propter decorem, alacritatem, & cultum, inſtar ſponſæ florentis ætate, & gratia incedentis ad pompam eſt; non ea debet pedem efferre quopiam, niſi Matronam aliquam ſecum habeat prouectioris ętatis, hoc eſt, Theologiam, vt ego interpretor, ſubſequentem.

Igitur

Igitur in Paradiſum pleno, fidentique gradu feramur: ex quo enim Deus natus in alieno effectus eſt homo: ponimus ibi pedem in noſtro, neque pertimeſcimus flammeum Cherubini gladium ad fores verſatilem; non enim porta ferrea diuinę ſeueritatis tentamus aditum: alia à latere adeunda eſt nobis ianua facilior quam nimirum lancea militis in Cruce aperuit, ſignatam etiam profluente ſanguine, ne famoſus ille percuſſor Ægyptiorũ Angelus ſęuire in nos ab Ægypto iam liberos velit, aut poſſit.

Sed per altitudinis immenſę iuga iter, niſi fallor, ſiniſtris auibus inceptamus. Siquidem Paradiſi locum ſublimitate inſignem Baſilius, omni terra excelſiorem Damaſcenus, montes lunę ſuperuadentem Chriſtianus nonnemo, Plato vero etiam in Phędone ſupra ventorum & imbrium domicilia collocauit. tantam auram hebraici rumoris exceperat Philoſophus exterus in alieno tractu eruditionũ. Verum ſi Paradiſi regio inacceſſa eſt, & editiſsimi verticis in modum: non erit nobis peregrinandum longius: ipſum tenemus locum: habemus, inquam, præ manibus ſacramentum illud abſconditum à ſæculis in Deo, cui per nubem, & caliginem inſpecto Vates maximus acclamauit. Verè tu es Deus abſconditus Deus Iſrael Saluator, quaſi Deus, & Saluator abſtruſum illud latibulum ſit geminatus ex

diuinitate, atque humanitate latebris inuolutum: propterea enim famulantia illa Domino Seraphin & duabus alis obtendebant faciem, & alis quoque duabus velarium pedibus inducebant: vt naturæ tam diuinæ ſublimitatem, quam humanæ demiſsionem impenetrabilem, noſtris obtutibus oſtenderent, quemadmodum interpretatur ibi Rupertus

Sed inacceſſæ rupis excelſitas dicebatur veterem Paradiſum attollere vltra volatum, ac viſum auium, ſupra terras, ac maria, quò ſuarum Heſperidum hortos extuliſſe Atlas humeris, hoc eſt, dorſo Montium Mauritaniæ fertur in fabula pediſſequa Veritatis. quaſi verò & de noſtro delitiarum horto verè dictum illud non ſit. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice Montium. Quem enim ſignificat mons excelſus nimis (Verba Gregorij recito) niſi Chriſtum, qui de Terra, ſed vltra Terram eſt, nam Caro eius de imis habet materiem, ſed in ſummis poteſtate præeminet.

Quamquam immodica Summorum Montium altitudo non amænum, aut ſalubrem, ſed ſqualidum, & inhabitabilem tractum facit, vel quod Aer ibi tenuis ſupra quam ferat vita corporatior animantium, vltra faſtigium hyemis & æſtus, calore, ac madore deſtitutus omni, pulmonum ſpirabilem efficientiam prohibeat,

quos

quos in ſpongiæ mollioris modum Natura finxit, vt ſpiritum tractarent in humido; vel quod aeris ibi raritas exucta defraudet humeſcenti pabulo areſcentia per ſeſe inteſtina. Certè Peruanorum Montium altiſsimos vertices, cum è noſtris Patribus adirent nonnulli; repentinis Capitis defectionibus, & diris ſtomachi cruciatibus exanimes, niſi ocyus ad ima remigraſſent, vitam inter viſcera profudiſſent. Eam ob rem Phyſici peritiores non adeo propinquam Cælo, ſed infra ventos, ac imbres antiqui Paradiſi ſedem conſtituerũt; Noſter tamen Recentior Paradiſus inſtar Olympi montis eſt; cuius quidẽ apex celſiſsimus ſupra iactum fulgurum, & aleã temporum cubat, quietis, ac tranquillitatis pleniſsimus: ad inferiorem vero eius cliuum locus Ceranniorum eſt, tonitruis, ac fulguribus, nimbis, procellisque ſubiectus, ex quibus demum imber ſalutaris funditur imis vallibus fæcunditatem inducens. Nimirum Chriſti Domini ſupremus Apex, Diuinitas eſt: ibi tanquam in ara Montis Olympi celebratiſsima, nullũ commotionis, aut veſtigium viciſsitudinis reperiemus. at inferior pars eius, Humanitas, iracundiæ, ac vindictæ paternæ procellis obnoxia, Iudaicæ Inuidiæ tempeſtatibus iactata, Sæuitiæ Militaris ictibus, ceu fulguribus lacera, ingruente vndique noſtrorum ſcelerum nube ac nebula, flatu, ac turbine, nimbum tandem

ſanguineum fudit in Cruce ; quo ſub iecta Chriſtianorum mentes irrigatæ cæleſti virtutum ſucco, ac ſpiritu vegetantur.

Sed priſci Paradiſi vigor ex eo etiam, fæcundus, ac viuidus memoratur, quod ad orientem poſitus ſincerum incorrupti Solis hauſtum exciperet, & illibatæ lucis oſcula prima libaret. Vbi enim in Sacra Geneſi vulgatus Interpres apud nos habet. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum Voluptatis in principio, Hæbræi cum ſeptuaginta Interpretibus magna veterum Patrum contentione laudati legerunt. Plantauerat Hortum in Edem ad Orientalem Plagam. Atque Edem, quidem, quæ vox Voluptatem ſonat, aliqui faciunt regionem amæniſsimam ſacris in literis nobilem apud Charras Meſopotamiæ. Hebræorum autem Scriptio dum Edem Meſopotamiæ alio punctorum numero notat, atque alio deſignat hoc ipsũ Paradiſi Edem, argumento eſt, noſtrum Edem nomen proprium loci eius eſſe, in quo deliciarum hortus eſt conditus, non illum alias celebratum in diuino Codice inter Campos Meſopotamiæ: dumque, vulgata Editio, principium vocat, quod Orientem alia interpretatio vertebat, non principium temporis, ſed terrarum principem locum indicat, Orientem inquam, ipſum, dexteram Mundi partem, potẽtem lucis, & Solis perpetuam adminiſtram.

Ita ſanè. Hortus enim hic noſter tenebrarum expers non ad Orientem poſitus modo, primo natæ lucis anhelitu reſpirat, ſed vniuerſum Orientem complexus, omnem afflatum Auroræ, Luciferi, Sōlis exhaurit. Annon plantatus fuit in Edem ad Orientem, hoc eſt in delicijs è Solis candore mundiſſimus, in ſplendoribus inquam Sanctorum ante Luciferum ex vtero intelligentiæ Dei ſui primum natus ſemper, in viſcere miſericordiæ Dei noſtri renatus eſt, vt viſitaret nos Oriens ex alto? Oriens ille, cuius in rore benedictio noſtra eſt: cuius Auroram fabricatus eſt ille Lucifer, qui non vertetur in Heſperũ. Eius quippe dies illi ſunt, quos cum priſcus Vates compellaſſet. Ecce dies veniènt. Cauſam dierum adiecit, quia ſcilicet. Suſcitabo Dauid germen iuſtum, hoc eſt, Orientem iuſtitiæ, vt ſeptuaginta verterunt, cuius etiam expreſſius meminit altera illa vaticinatio. Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem, ſiue etiam Germen, vt Hebraicè paſsim legitur: quo nomine compellari Chriſtũ in Zorobabele clarius eſt, quam ipſe ſit Oriens, cum pleno Sole clareſcit. Sed illud omnino ſuboſcurum, & mirabile videri poteſt, quod Oriens, ideſt, lucis initium & germen, hoc eſt viuendi principium pro eodẽ ſumitur in Sacris eloquijs, quotieſcũque de hoc myſterio ſermo eſt. vt Sacrorum Interpretum optimi quique

notarunt: Ipſe nimirum Chriſtus vna, eademque opera origo vitæ eſt, qua no filios procreat, & Solis exortus eſt, qu nos à tenebris liberat filios lucis.

Sanè cum principium vitæ ſenſu, animoque pollentis cor inter cætera membra ſtatuatur à Philoſopho: Noui aliquos exiſtimaſſe, cor, flammeum quid, ac ſplendidum eſſe adeo, vt ſi hominis bene valentis pectus in obſcuriſsimo quopiam loco, repentino aliquo amplo vulnere aperiatur, ſplendor ſubitus è corde, ceu repentinum fulgur Orientis eluceat. Cum ergo Chriſtus, cor ipſum, ideſt principiũ lucidum viuendi ſit Eccleſiæ, quæ propterea pulchra, vt Luna candorem maximæ lucis habet, meritò, & viuendi radix, & lucendi exordium vno nomine tanquã proprio appellari debet, vt eſt etiam in alio eiuſdẽ Vatis oraculo, Ecce vir oriens, ſiue germen, vt alij legunt, nomen eius. Germen, vt viuere, Oriens vt viuere vigilanter nos doceat.

Huius igitur germinatu Orientis noſtra Humanitas Paradiſo perſimilis effecta eſt, dies ab hoc Oriente auſpicata ſerenos, quibus illuſtrari vel ipſa æternitas poſsit.

Verum, ne ſerenæ diei caloribus vetus Paradiſus æſtuaret immodicè, alſioſum fecere locum vno è Gurgite ampliſsima flumina Tigris, & Euphrates, Nilus, & Ganges quadruplici diuortio deriuata,

neque

Neque minus algore dulci frigeratur, ac frigerat hortus noſter deliciarum, dum mirificis etiam ipſe reſudat humoribus; Imò ſi Bernardo mellifluo credimus exponenti vetus illud magni Vatis effatum. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. In Chriſto, qui noſter eſt Paradiſus, quatuor eſt reperiri fontes: vnum Miſericordiæ, quo Culpa lauitur, Sapientiæ alterum, quo Ratio collatatur, tertiũ Gratiæ, quo Mores ad fructum irrigantur: poſtremum Charitatis, quo Noſtri animi affectus excoquuntur ad purum.

Sed impetus quidem ille, quo de Libano fluunt, aquæ micantes, quas tantopere paſtoritia Regina collaudat, in ſuo, ideſt, noſtro hoc ſuauitatum horto rapidam Tygridis fluuij velocitatem etiam hic adeſſe teſtatur. Tygris enim propter celeritatem admirabilem tale nomen adeptus (quòd Perſica lingua Tygris Sagittam nominat) vbi rapidiſsimo curſu per obſtantes difficultates flexuosè etiam oblectatus, et mox abſconditus emerſerit in mare rubrum impetu maximo fertur: nimirum Tygridem, hoc eſt Sagittam, & hic excurrere iure dixeris. Siquidem ex vtero Virginis tanquam Sagitta ex pharetra promitur Natus ad imperium Dei expromptiſsimus, quippe qui ingrediens mundum, corpusque ſibi aptatum videns extemplo dixit. Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam; ex quo etiam &

venturus, & veniens, & accelerans, & feſtinans appellatus eſt; Ei quippe nomen eſt inditum, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Ex vtero igitur tanquam ex illimi fonte ad Patris iuſſum exiliens concitatum obedientiæ curſum torrentis inſtar inſtituit, & modo quidem in anguſtias coactus. Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor? Modo Mæandri more flexuosè lentus, ac ſtagnans. Nondum venit hora mea: modo procul à conſpectu raptus in abditum. Abijt, & abſcondit ſe ab eis, occultusque tranſiens per medium illorum ibat: modo maiore votorum, ceu fluctuum vi collecta intumeſcens. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, & quamquam obſtantibus difficultatibus impeditus. Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me Calix iſte: Continuò tamen exuperatis. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; in mare tandem rubrum, hoc eſt, ſuo ſanguine coloratum euolutus obedientiæ curſum Tygride velocior vſque ad mortem, mortem autem Crucis abſoluit.

Sed neque Euphrates fluuius alter Paradiſi latior, ac profundior hic deſiderabitur: Eius quidem nomen florem, ac ramum ſignificat, moles autem aquarum ingens violenter excurrit, quin & dorſo nauigia occurrentia, naualesque pugnas ſuſtinet; dum vltra Ditionis Iſraeliticæ terminos per Babylonem tranſgreſſus,

Occaſum denique pleniſsimus vndarum ſubit. Igitur & hic Euphratem meliorem inſpicere eſt, cuius origo ad florem, & virgam pertinet. In Ciuitate enim Nazareth, ideſt, florea primum ſcaturijt, prouocante Gabriele Angelo Tellurem virgineam, quæ ſimul ex Ieſſe virga prodijt & mater floris. Inde magna virtutum, ac laudum copia Chriſti nomen, & fides paulatim aucta inſtar Euphratis effuſa eſt in Occaſum, noſtras, inquam, in Regiones Iſaia vaticinante. Et timebunt, qui ab Occidente ſunt, nomen Domini, cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, ideſt quem validiſsimus ventus impellit, Ille, opinor, ventus qui Syonem perflauit, cum factus eſt de Cælo repente ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, cui fatidico ſpiritui Vates alter alluſit. In ſpiritu vehementi conteres Naues Tharſis, ideſt, opulentam ſuperbiã Ethnicorum Principum, velis in altum elatis glorioſè iactabundã, infringes. Hæ ſiquidem Naues illæ maris magni ſunt, armis validæ, auro, & argento comportando nobiles, ipſa Pluti, Plutoniſque Claſsis, quas vna Petri Nauicula in Euphratis noſtri decurſu, hoc eſt, ad ſecundam Chriſtianæ fidei extra Iudeę terminos per vniuerſum Mundum excurſionem prouecta cepit, expoliauit, diſiecit. Dies enim Domini exercituum ſuper omnes naues Tharſis. at vbi? Ad oc-

caſum maxime, & in Babylone potiſsimũ; ideſt, Romæ, in Vrbe illa proſtituta gentium, portum tenuit, Tyberinum ad littus inconcuſſa Cymba Simonis, ibi victoriam adepta eſt, ibi ſceptrum obtinuit; Huius enim Imperij caput Romæ futurum indicauit, niſi fallor, Regius Poeta, cum cecinit, Virgam virtutis tuæ, hoc eſt, Sceptrum potentiæ Chriſti emittet Dominus ex Sion: Inde enim Apoſtoli regni huius propagationem auſpicati ſunt & adiecit. Dominare in medio inimicorum tuorum. At quod erat illud medium quò tanquam in centrum confluere ſolitos accepimus Inimicos Chriſti primarios, hoc eſt, Idola Dæmoniorum, eorumque impuros, ac ſacrilegos cultus, niſi Roma ſuperſtitionum, ac ſcelerum omnium ſentina tunc & Magiſterium; cecinit ergo Dauid, in medio inimicorum Regnum Chriſti validiſsimum fore, ideſt, in Vrbe Roma habiturum ipſius Vicarium ſupremam poteſtatem, & gloriam.

Sed hanc profectò gloriam, qua Tyberis ita redundanter ad Vaticanum ſuperbit, vt ipſi procul dubio congruat, magnifica illa enunciatio Iſaiæ. Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, Nilus tertius Paradiſi fluuius inuexiſſe bonorum ſuorum affluentia videtur. Nilum enim hunc, cuius nomen fluorem lentum & pacatum ſonat, Vis autem, eius multiplici torrentis inundatione reſonat, adumbrauit antiquũ

illud

illud Oraculum. Declinabo ſuper eum tanquam fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam. Nili autem ſicuti caput, & initium penitus ignotum latuit, ita exitus per oſtia ſeptem celebris ſemper fuit. Inhabitabilem etiam Ægipti Regionem humano cultui habilem reddidit, quamuis Crocodilis, & huiuſcemodi maleficis beſtijs obnoxiam: tantam autem, ac tam expeditam in fætu mulierum fæcunditatem impertit Nilus, vt non vnum, aut alterum infantem matres parturiant, ſed familias integras, & populos filiorum vno, & quamcelerrimo partu aliquando etiam profuderint.

Iam verò noſtri quoque Nili caput, & initium quam ignotum fuerit etiam Sapientibus Iudæorum doctiſsimi Principes fatebantur apertè, cum dicerent: Hunc autem neſcimus, vnde ſit: quibus propterea Pharyſæis eam ignorationem Principij obiecerat, cum dixit. Miſit me quem vos neſcitis; ſed exitum pernouerunt plus ſatis, quippe quem fecerunt ipſi latiſſimum; Viderunt enim, in quē tranſfixerunt; cum vno effluxu lateris per oſtia ſeptem Sacramentorum, inde manantium, Nili noſtri, hoc eſt, cæleſtis gratiæ inundatio conſecuta eſt tanta, ac tam felix, vt deſertiſsimas terras, & malefico beſtiarum genere infeſtas, dederit virtutibus habitabiles, feras autem Cicures, ac manſuetas effecerit. Populi enim perfida barbarie

K 6 atque

atque incondita feritate Crocodilis, Struthiocamelis, & Draconibus è ſtirpe venefica Leuiathani generis pares exundante dulciore hoc cæleſtis gratiæ fluuio velut in cygnos conuerſi cecinere canticum nouum Euangelico Propheta præcinente. Glorificabit me beſtia Agri, Dracones, ac Struthiones. Sed quam ob rem quæſo? Dedi enim fluminis huius beneficio aquas in deſerto, & flumina in inuio.

Ex aquarum autem Nili huius redundantia tam celeri, tam vberi partu Eccleſia filios ſuos enixa eſt, vt è remoto id præſentiens Iſaias, celeritatem quidem admiratus dixerit. Antequam parturiret, peperit, antequam veniret tempus partus eius peperit. Ad fæcunditatem autem adiecerit. Quis audiuit vnquam tale? aut quid vidit huic ſimile! Numquid parturiet terra, ideſt, vniuerſa in die vna? aut pariter gens ſimul? quaſi diceret. Non fæminæ vnius fætus, ſed vniuerſitatis totius fætura hæc eſt, in qua non vnus, aut alter ſingularis progignitur, ſed familiæ, populi, Nationes ſimul conceptæ, ſimul editæ prodibunt in lucem. Ita minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſsimam. at quanta mora temporis id fiet! Subitò faciam illud, dicit ibidem Dominus; Cuius etiam dicto facta ſubſeruierunt, Quid enim? nonne vno Petri plebem alloquentis enixu tria millia capitum baptiſmo renata baptiſmi lucem vna

die

die viderunt? Nonne ſuperfætante eſt ipſa occiſione Chriſtianorum Eccleſia, ſanguis Martyrum factus eſt Chriſtianorum ſemen, cuius generoſo de ſatu generatio virtutum vegetior pullulauit, frequentiuſque etiam nũc ſoboleſcit ad gloriam. Qua in re illud de Nilotica fertilitate venit in mentem, quod Tullius orator ſummus ex hiſtorico neſcio cuius notæ retulit, vbertatem Aegypti oriri ex eo, quod Nilus ſemina excepta de montium, colliumque ripis euoluat ſecum, quæ cãpis in ipſa alluuione diſpergat, quò referre quis fortaſſe poterit illud Iſaiæ dictum. Et agris multis ſemen Nili, meſsis fluminis fruges eius; quaſi Nilus etiam noſter de Cæli Alpibus, de Collibus Aeternitatis Gratiæ ſemina contraxiſſe dicendus ſit, quo grauidata mortalium corda pullulaſcerent in gloriæ frugem incorruptam.

Sed pro frugibus gemmas effundit Gãges Paradiſi fluuius noſtra quidem enumeratione quartus, prærogatiua dignitatis nulli ſecundus. Etenim ex aſpero montis iugo ebulliens tendit in Orientem Solem, cuius etiam luce inrroacta collucet adeò, vt Solem ibi natare non minus credas, quam in Cælo currere. Inde adeò euenire autumant, vt intra viſcera vndarum translucida admiſſo Principe ſidere ex flauo illo Solis conceptu metallum, ſaluum, & primi nominis aurum egerat eximiæq; notæ gemmas eiectet ad littora.

Sed

Sed longe aſperiori de iugo Caluariæ, inquam, ex colle, ſtillante Chriſti latere, ceu mareotis ſalutis ebullijt ſalientibus purpureis fons ille meritorum, qui in vitam æternam ſalit, vbi Solis aperta palam diuinitate ſplendidus, repercuſſu gloriæ natat in animis Beatorum. Quis enim vigilans neget hic adeſſe myſticum illum Gangem luce plenum ac Sole, cum vel in ſomnijs manifeſtus iam fuerit antiquiſsimo illi diuinatori. Fons paruus creuit in fluuium, & in lucem, ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit; Aquæ multæ, populi multi ſunt, quibus lumen ex aquario confluere Dauidicus etiam pſalmus nos edocet, in quo ſicuti premittitur. Apud te eſt fons vitæ; ita ſtatim ſubiungitur: & in lumine tuo videbimus lumen; nimirum in filio tuo; eſt enim lumen de lumine, in quo nec nos videntes erimus, niſi lucentes: neqne aliud erit nobis viuere, niſi bibere ex illo fonte; fontem autem illum appello, cuius vbertas temulentiam facit in domo Domini, cuius impetus lætificat Ciuitatem Dei non luteam, non lateritiam, aut ſaxeam, ſed qualem auriferi, & gemmiferi Gangis opulentia conſtruere valuit. Ipſa enim Ciuitas, & aurea ſimul, & more Chryſtalli transludida viſa eſt, rerũ etiam futurarum hiſtorico Ioanni, cuius Vrbis fundamenta conſtrata pretioſis lapidibus ſunt, ſed ijs tantum quos noſter fluuius vi-

purpu-

purpurantis vndæ Gangis inſtar progenuit, dum nimirum ad Orientem lucem inceſsit, hoc eſt, dum excitatus Chriſtus ab inferis gradum fecit in Cælum eo ſenſim incremento ſplendoris, ſi vera nobis renunciant, qui diuina conieƈtantur acutiùs, vt quo longiùs Chriſtus aſcendens remouebatur à terris, eò ſplendidiùs purpuram quamdam lucētem indueret nube candida poſtmodum velatam veluti Rex paludatus regendæ nouę illius Hieroſolymæ, quę condita ab ipſo ex auro, & gemmis Paradiſus etiam eſt plantis præuiridantibus, trunciſque pomiferis nobilis ad opulentas ripas fluminis excurrentis è ſolio Dei, & Agni vt in ſacris monimentis legimus vt ex vno Gange non irrigatus ſolùm, ſed proſeminatus & conſitus Paradiſus in Cælo videatur.

Sanè quonam ex fluuio aurario, ac gemmifero prodierit prodigium illud auri, atque gemmarum, quod in triumpho Pompeij magni Roma tantopere admiratá fuit, non memini; Memorant tamen primæ memoriæ hiſtorici montem ex auro fuſum & non mediocri mole conſtantem comportatum fuiſſe in ſpeciem amœniſsimi Pomarij, cuius gramina, & virgulta, frutices, arboreſque non paucæ ſmaragdis, & ſaphyris herbeſcerent, ac frondenent: fructus verò in pyropos, iaſpides, aliaſque omnifariam dependulas margaritas, & vniones matureſcerent.

ſent interfluentibus argenteis riuis, ad quorum littora vites aureę multiplici gēmarum pendente vindemia luxuriarent.
Sed gemmas iſtas brutas, & inanimes Mida, & Cræſo, hoc eſt, poſſeſſore aliquo ſtolido, & infelice dignas, merito pro limo; & ſordibus habebat mundiſsima Virgo Cæcilia, dum argentum, & aurum, cæterasque domeſticas opes abijciens lutum & ſabulum ſe dare dicebat, vt aurum & gemmas in monte Hæreditatis Dei ſine fuco, & fallacia micantes poſsideret, colles auro puluereos, & arenatos argēto fluuios non adorant in terris, qui Lunę montes argenteos, aureosque Solis, & Siderum globos calcare cupiunt, ſequuti Agnum quocunque ierit. Noſtro in Gange alius eſt piſcatus gemmarum, quibus animi ſcintillant in perpetuas æternitates; noſtro è Paradiſo non fucatam ad inſidias oculorum meſſem colligere eſt, ſed veros vitæ fructus ad alimenta cordium, neque de hoc genimine terrenæ vitis bibere ſatagunt, qui nouum illud in Regno Dei tantopere ſitiunt ad conuiuium voluptatis admiſsi inter pocula veritatis.
Etenim deducta feliciter irrigatione tot fluminum, mirum eſt quantam, & quam ſuauem vbertatem frugum, fructuum, ac liquorum ſuppeditet in epulū Immortalitatis Paradiſus noſter autumnans ſimul, & vernans omni pomorum

genere

genere fertilis, decorus, & ſalutaris.

Sed lignum ſciẽtiæ boni, ac mali quodnam hic eſſe dicemus? dicet hìc aliquis; Neque enim indigere ſcientia potuit is, qui paruulus vix natus nobis, nouerat iam reprobare malum, & eligere bonum.

Sanè præuaricationis arborem fuiſſe ficũ veteres Patres non pauci, & communi ſenſu probati cenſuerunt, eam tamen ficum indicam recentiores quidam interpretantur, non ſolùm quòd eius fructus ſuauiſsimi, & quamuis parui, multorum tamen copulatione ſpeciem, ac vim ingentis cuiusdam pomi præſeferre potuerunt: Sed etiam quod eius ampliſsima folia velandorum velamini maximè idonea forent, neque alia ſub arbore abſcondi, aut defendi primi Parentes potuiſſe videntur congruentius, quam ſub ea, quæ latiſsimas frondes, & clypei modo conformatas haberet ad terram vſque promiſſas.

Verum ſeu ficus arbor illa fuerit, cuius guſtum, vt lethalem inhibuerat Deus, ſiue fuerit illa ſolum, cuius folia tegendo crimini vmbraculum, & excuſationi velamentum dederunt: planta profectò hæc minimè cum ſolo noſtri Paradiſi coaleſcit. Quid enim in Chriſto reperias, cuius guſtatio vetari debuerit cum totum ſeſe in cibum, ac potum ſpontè tradidecit? Ecquis erat excuſationi locus, vbi

nulla

nulla mali macula opacanda per fraudem fuit ad ſpeciem dignitatis? tanto minus lethalis erit pomorum eſus, vbi mors vltra non dominabitur: Arbor enim eſt illa vitæ, quæ nobis erit in vmbra, & pabulo, cuius folia ad ſanitatem gentium, cuius rami in æternitatem vſque longæui, cuius fructus dignus labijs, dentibuſque ad ruminandum. Et folia quidem ea videntur eſſe, quibus incingi volebat Petrus cum diceret. Verba vitæ æternæ habes, quo ibimus? Ramos autem celebrabat alter, qui ſub illis recubans decantabat. Factus eſt Dominus protector meus, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Fructui denique inhiabat ille, dum deſiderij famem, ſitimque fallens hiabat in carmine. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Sed nos profectò ieiunos, ac miſeros, qui dum Paradiſum vniuerſum animi paſſibus iam peragrauimus, auiditatem quidem fruendi excitauimus, ſatietatem autem ne intelligendi quidem ſperare didicimus: Myſterium enim hoc mira hominis, ac Dei cohærentia implicatum, cum explicare maximè ſtudebimus, tum verò inenarrabile illud eſſe experiemur: nempe quò magis vota noſtra, quæ ſunt animorum manus, & brachia ad Paradiſi huius fructus extendimus, eò celerius in altum Paradiſus euolat, & vt ille canebat in fabulis. Totus in arduum Autumnus rapitur, ſyluaque mobilis. Ita pœnas Tantali pati-

patimur, & in Cælo ſumus. Sed quamquam ſpem ſaturitatis amiſimus, non omnis præterea præguſtatio deſperanda eſt. Cur enim ſperare non liceat, & nobis fortunam Teophili fortunatiſsimi illius adoleſcentis, qui Dorotheæ ſuæ munere Angeli vnius nobili miniſterio flores, ac poma Paradiſi Cæleſtis accepit. Siquidem rectè reputando non deſtituit omnino nos infelices Dorothea noſtra, ideſt Diuina gratia ſicut ipſum vocabulum ſonat: prouidet enim & nobis Angelum, Angelicum, inquam, Doctorem, qui Chriſti Domini dotes, conditiones, & opera, hoc eſt Paradiſi huius poma noua, & vetera miro quodam ſcientiæ ordine legeret, oſtenderet, miniſtraret.

Supereſt igitur, vt in reliquum tempus ad guſtationem accedamus ipſorum pomorum, ſi pomarij huius vniuerſi odor hodie primum à nobis afflatus ſatis vos ad experiendam doctrinæ de Chriſto dulcedinem inuitauit.

SOLARIVM GREGORIANVM.

Siue

De beneficijs, quibus Gregogorius XIII. Solis inſtar vniuerſum terrarum Orbem colluſtrauit.

LAVDATIO.

TAnta eſt, tamque effuſa per publicas mundi vtilitates amplitudo lucis, quam in Solem ſyderum principem ab rerum primordijs intulit Deus (Illuſtriſs. Principes) vt ſapientes Mathematici immenſum illius iter, atque ſplendorem humanis ſenſibus exponere cupientes, breui admodum tabula deſcriptis ordine

ordine lineis eam comprehendant, & vno vmbrarum adminiculo quodammodo nobis illuminēt, ac diſtinguant, quaſi cœci immortalium oculis non niſi per ipſas tenebras ſolem, ac diem inſinuare potuerint. Sanè qui vnquam ſol, ipſa vel maior fide Poetarum, tot radiorum curriculo perag rauit Prouincias, quot ſpatia terrarum beneficentia lucis verè aureæ colluſtrauit GREGORIVS tertiusdecimus, inter beneſica mundi ſydera ſol clariſsimus: cuius æterno liberalitatis ambitu circumaguntur aurea ſæcula literarum, cuius quaſi vitali calore, ac ſpiritu vegetus omnis penè ſapientiæ mundus agitur, ac fouetur. Solis huius gyrum liberalitatis immenſum in varia diuiſum beneficiá, in hæc, inquā, deſcripta collegiorum ædificia, rudibus lineis vnum ſub aſpectum poſuerūt maiores noſtri, & in hoc publico literatorum foro, in ipſa æternitatis area Gregorianū, vt ita dicam, Solarium extruxerunt; ſed cum tanti Solis immenſa lux prægrauaret oculos, nec niſi per vmbras comprehendi poſſet: merito orationem meam præ cæteris elegerunt, quæ ſuæ obſcuritatis vmbris, ac tenebris lumen redderet luculentum, & ingenij tarditate quaſi opaco, ſolidoque corpore lucem ſiſtens mortalium efficeret oculis ad ſpectabilem.

Aegyptiorum Sapientiſsimi cum immortales animos, & caduca omnia Solis lumine colluſtrata corpora varijs picturis, ac ſi-

ac ſimulacris effingerent, ipſam Solis faciem pigmentis, aut figmentis exprimi vetuerunt, quod maieſtate tantæ lucis oppreſſum humanum ingenium, dignis coloribus, ac luminibus, authorem referre luminum omnium, colorumque non poſſet. Et Gregorij profecto animus, facies illa Deo perſimilis, omnium virtutum luminibus effloreſcens, vt credimus, in cælo, mentis meæ perſtringit oculos diuina res plurimum habens caliginis, tacitisque terroribus Oratorem monet, ne mortale lumen in clariſsimum inferat Solem. Ab directo igitur Solis huius intuitu per eius effecta peregrinabitur Oratio mea ad hec deſcripta paſsim in hac Aula Collegia, tanquam ad certa hoſpitia curſim diuertens, noſtrique Solis veſtigia æternis vbique terrarum impreſſa beneficijs ab Ortu per Aquilonem, & Auſtrum, ad Occaſum vſque non æquis paſsibus perſequetur.

Atque vt ab extremo Solis ortu, dexteraque Mundi parte ducat ortum Oratio, vltimi rerum humanarum fines, vbi moriens natura defeciſſe credebatur antiquitus, Indorum inſulæ, Iaponumque à communi comercio, atque aſpectu noſtro diuulſæ, amico Gregorianæ liberalitatis complexu per fundata collegia deuinctæ ſunt, vt non modo vna inſtitutione morũ, vno religionis vinculo, ſed latinæ etiam linguæ, noſtrarumque diſciplinarum cõmunione ſocientur. Non defuerunt noſtra

ſtra ætate, ingentium animorum viri, tantique facinoris impunitate digniſsimi, qui natalis Europæ anguſtias egreſsi, & antiquas Argonautarum fabulas vera nouæ gloriæ laude præteruecti, adornata ſumptibus immanibus claſſe, & enormi per Aequatorem, & Capricornum excurſu ad ignotos gemmarum piſcatus, inclytasque metallorum venas protracto, ex intimis terræ viſceribus, magnæ matris oſsibus, vt ita dicam, refoſsis, erutisque de ipſo Pluti regno theſauris, innatam exterorum Regum hæreditatem non iniuria in Europam Oceano, & Aquilonibus reclamantibus auerterunt. Sed per infamia naufragijs maria, frequentique Typhonis vertigine horrendum in modum agitata per inſidioſa vada, & nunquam explorata littora, peregrinarum auium inſtar, excurrere, diſociata ventis, & aquis immenſa terrarum ſpatia mutuis mercaturis committere, nationes indomitas redigere in ſeruitutem, ſpolia referre, non Oppidorum, aut Vrbium, ſed Prouinciarum, atque Regnorum, fuerit ſane miraculum fortunæ militaris, ac nauticæ inuſitatum: Quamqnam non pauci nec leuibus ducti rationibus crediderunt fælicitatem hanc Salomonis etiam temporibus fuiſſe notam, & vſurpatam. Verum vaſtiſsima eadem maria non quæſtuoſa velificatione, ſed largitione gratuita percurrere, per atrociſsimas etiam tempeſtates beneficia

æterna

æterna tranſmittere, remotiſſimos populos, & nobis hactenus inauditos in Chriſtianam libertatem aſſerere, ac nonnullos ipſa etiam humanitate donare, Gregorianum profectò munus eſt, nullis antiquis Regibus, nullis antea terrarum Imperatoribus niſi vni rerum omnium principi Deo commune, qui alios mundos, quos Alexandri Macedonis auiditati natura ſubtraxerat, beneficentiæ Gregorianæ ipſe Author naturæ paulo ante per nautarum induſtriam patefecit. Patefecit ille, quidem nouam terrarum faciem, ſed (vt olim de rudi materiæ congeſtu mundus primum eductus) erat inanis, & vacua, multaque caligine tenebrarum offuſa, donec ei de firmamento cæli, de Vaticano inquam Solio luceret inſtar Solis Gregorius, diemque nouum ab antiquis tenebris ſepararet. Etenim beneficæ lucis huius fauente ſydere quantum Chriſtianæ ſegetis incrementum fuit?

Arbores, cæteraque plantarum genera cum primum enata ſunt, erecta in cælum effuſo vertice Solem petunt authorem vitæ ſuæ; ſic in locis ijs ſylueſtribus, cum diuini verbi ſemente facta, nouale Chriſti fundere fruges cæpit, ſuprema ipſa capita populorum in Gregorium Solem ſuum effuſa ſunt, legatione illa ab Iaponum ſedibus poſt hominum memoriam inaudita. Memini ad Romanos Imperatores legationes olim ex Indijs aliquot ſuſceptas

eſſe.

eſſe. Memini ad Conſtantium Cæſarem à præcipuo quodam Indorum principe per legatos, honoris ergo, miſſum eſſe, Pana ſatyriſcum incluſum cauea: legi ex admiratione Romanæ virtutis ab inſulæ Taprobanæ Dynaſta legationem Claudio præpoſtere obueniſſe: Audiui Porum, ſexcentorum Regem regnorum à Cæſare Auguſto per legatos amicitiam poſtulaſſe: Antoninum Pium tanquam ſæculi ſui Dicen, & Aſtream ab Indis, Bactris, & Hircanis ſalutatum legationibus, donarijſque, Deorum more, auctum accepi. Sed regios iuuenes legatione vltrò ſuſcepta pro Regibus, & à longinquis regionibus per Oceanum natura ſæuum, & & adhuc ignotum, quà pyratis infeſtum, qua decumanis fluctibus, turbinibuſque rapidiſsimis viginti horarum ſpatio circulum reciprocantibus vorticoſum, nulla auaritiæ cupiditate, nulla vincendi libidine, nullo Romanorum Magiſtratum ambitu, nulla auxiliarium armorum egeſtate, nullo quæſtu niſi chriſtianæ virtutis, & Gregorianæ gloriæ facto, duo, ac viginti milliariorum millia per omnem Ortum, & Auſtrum nauigatione trium annorum emenſos fuiſſe, vt ad Romani Pontificis pedes acciderent, nunquam ante fœlicia Gregorij tempora didiceram, nihil tale inter tot veterum legationes mercenarias, & honorarias, pacificatorias, & ſalutares, illuſtres, & maximas re

peritur, nihil tale in hiſtorijs legitur, nihil tale auditũ eſt ex omni memoria ſeculorũ

Quis tum Romæ, quis Europæ ſenſus lætitiæ, pietatis, amoris fuit? cum præſtantiſsimi iuuenes legati Regum, ac Reges extra ſua ſydera, ſuumque ſolem extracti contra ſæuientis oceani ferociam ſpe Gregorianæ benignitatis armati, nouis quotidie ventis, ac tempeſtatibus, vadis, atque æſtibus, euripis, atque receſſibus indicto bello, ipſis mundi clauſtris per aſsidua naufragia, enormeſque ſumptus, per cælum obſtans, repugnantemq; naturam effractis, Gregorium tempeſtatum ſuarum portum, expenſarum vſuram, ac fructum, dulciſsimum illum cæli conciliatorem, ſeruatoremque terrarum, communem totius humanæ naturæ Parentem petiuerunt. Reges exteros debellatos in Capitolium ducere per triũphum ſeruilibus catenis oppreſſos frequens fuit Romani generis fœlicitas per vim ſemper, ſæpè per iniuriam vſitata. Sed Dynaſtas Regios non vi, non armorum iniuria ſubditos, ſed iure beneficiario traditos, & voluntaria animorum deditione (quam Deus curat vnã, & ambit) deuotos in Vaticanum ducere paludatos, eoſque Thiaris depoſitis, & oblatis veluti ſceptris quaſi in faſces ante illum generis humani conſulem deferendos, ſubiecto ad imos pedes pectore, proſtratos aſpicere, triũphus eſt vno Ro

mano Pontifice dignus, & vni primum Gregorio, niſi fallor, ex oraculo veteri debitus, ac ſeruatus. Memini enim me legere in Sacris Catherinæ Senenſis epiſtolis viſum ſibi diuinitus eſſe, futurum aliquando, vt Ethnicorum natio cum Eccleſia Chriſti ſponſa in aperto Domini latere, porrectis oleæ ramis dexteras iungeret. cumque eadem integerrima Virgo ſæpè iu ijſdem litterarum monumentis prænunciet fortunata quædam tempora optimorũ paſtorũ: liceat mihi non tam ex amore ætatis noſtræ, quã ex ipſa ſimilitudine veritatis tantã gloriã ad hæc ſtẽpora deriuare, & nationem è Satanæ gremio in ea Regum legatione diuulſam, & cum vera Chriſti ſponſa in Vaticano Romanæ pietatis penetrali quaſi in intimo Domini ſinu coniunctam, interque ſolemnia Sacra icto per cœleſtis agni ſanguinẽ fœdere ſociatam agnoſcere. Gregorius certè neſcio quid humana ſpecie auguſtius, neſcio quid arcanum, ac diuinum agnouit. Vt enim illi Magos imitati apertis non tam opum, quàm virtutum theſauris in Gregorio Chriſtum ipſum adorauerunt: ita Gregorius generoſam Chriſti indolem in eis intuitus, Adoleſcentes Regios amplexatus eſt, & viua illi Chriſti membra contrectans Symeonis inſtar exclamauit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Cygnea verò vox, & eo ſene digniſsima, qui votis, ac

precibus vnam redemptionem Iſrael, & lumen ad reuelationem gentium expectabat, expectabat autē? imò verò parabat ante faciem omnium populorum.

Vniuerſa pænè Aſia barbaro turcharum patrocinio commendata, ſiue potius latrocinio compilata, intendentibus ſeſe Mahometicæ impietatis tenebris caligabat, niſi Gregorius quaſi lux appetijſſet, qui multiplici legatione miſſa non modo Collegia iuuenum extruxit, qui ſacris inſtituti diſciplinis, & moribus contra impetum patriæ præcipitantis in ritus exteros, atque ſacrilegos armatum ſapientia pectus opponerent: ſed ſacræ etiam religionis noſtræ volumina Hylliricis, alijſque externarum linguarum notis expreſſa, quaſi auxiliares machinas, atque arma diſtribuit, quibus, & verſutos noſtri generis hoſtes euitare, & difficilem cœli arcem expugnare violenti poſſent. Vetus querela fuit, creſcente pecunia imminui ſapientiam, & virtutem ante cognitas opes Aſiæ optimum gloriæ curſum tenuiſſe: at vbi corraſum aurum, captiuumque argentum ab Ortu comportari cœpit, quaſi iniuſto pondere prægrauatam naufragium tam fædum in portu feciſſe, vt bonis diiectis, ipſis etiam doctorum virorum commentarijs partim iniuria imperitorum diſperſis, ne veſtigium quidem priſcæ fœlicitatis appareret. A communi igitur lite

rarum

rarum naufragio Gregorius etiam tabulas colligebat, & ſacra Patrum volumina, firmiſsima Chriſti nauiculæ armamenta, omniumque aliarum virtutum ſupellectilem ad Aſiæ miſera emptoria tranſmittebat. Scimus legatos à Populo Romano miſſos olim in Aſiam vt mores, atque inſtituta ciuitatum, omnemque Græcorum ſapientiam deſcriptam literis Romam deportarent. Sed dignum Romano genere potius fuerit ferre leges, quàm poſtulare, docere quàm diſcere, velle, & iubere, quàm obſequi, & obſecrare: Dignum Romano Pontifice fuerit informare indolem populorum, veritatis fontem habere natiuum, non haurire de puteis alienis, exponere, non dubitare, viam uirtutis præire, non ſequi: Dignum denique Gregorio fuerit elargiri, non rapere. In largitionibus quidem ſuis Imperatores olim, vt pompam aliquam, & ſpeciem adhiberent, teſſeras, variarumq; rerum miſſilia ſpargrbant è theatro viritim in paucos: at hic è ſolio Vaticano per ignotos etiam mundi angulos ſacra hæc miſsilia, veræque religionis teſſeras etiam nunc ſpargit, monumenta inquam & commentarios eorum ſapientium, quorum aliqui ſecuti dũ uiuerent remotiſsimas mundi partes adierũt, ut diſcerent: ita poſt morté in ſuis hiſce voluminibus iterum peregrinantur, vt doceant.

Verum Gregorii beneficia, quibus

 Aſiam

Aſiam opulentum quondam naturæ totius ærarium locupletauit, ſicut publicè & priuatim in ſingulos collata ſunt, ſic in ſingulorum morte non pereunt, cum velutiſæcunda ſemina præpinguibus Aſiæ ſuſcepta glebis, multiplicato etiam nunc fænore frugem reddant. Quatuor certè ab hinc annis Antiſtites Græci quam plures ſynodum Conſtantinopolim indixerunt, vt Sancti Spiritus originem à Patre, & Filio, ſummumque Romani Sacerdotij Principatum publica aliqua ſignificatione faterentur: idque totum vna ope, & conſilio quorundam Theologorum effectum eſt, quos in Græcorum Collegio Romæ aluerat Gregorij ampliſsima liberalitas. Nimirum Gregorij beneficio penè factum eſt, vt vetus illa nunquam expugnata erroris peruicacia, proſtrata demum veritati concederet, Vaticanumque montem, ipſum religionis chriſtianæ capitolium ſpontè conſcenderet in triũpho. Helleſponti quidem, & ægei maris, Cyclades, & ſporades, Euxini continens, Ionij inſulæ, aliæque ab Apoſtolorum præcipuo Paulo ad Chriſti primum ſtipendia ſollicitatæ, poſt diuturnam defectionem Romano Sacrorum Principi, iterato catholicæ veritatis autoramento manus dabant. Sed in recentem hanc religionis noſtræ gloriam per medias Gregorij laudes, quaſi quadrigis vehentem tranſuerſa incurrit fraudulenta inuidia homi-

hominum audaciſsimorum. Tamen hoc habent Gregorij, vel intermortua, ſemperque rediuiua beneficia, vt quia non niſi liuore, ac furore premuntur, opprimi nequaquam poſſint. Solem enim nube, ac nebula aliqua contegas, licet: ferire gladio, delere occidione non potes. Erumpet igitur, vbi radices egerit altius defoſſa veritas, nec minore luce micabit in Aſia Gregorius, quā iamdudū ardente charitatis tæda Germaniā, & proximas regiones accenderit, quæ leſt altera pars orationis ad Aquilonem diuertentis meæ

Ex quo enim Lutherus procella Germaniæ, turbo, ac tempeſtas optimarum artium, ſus ex hara ſordentis Epicuri lutulenta, ſaginata ſanguine, ac cæde bonorum, diuturna impunitate ſcelerum exultans, & tripudians in publicis Europæ cladibus, ac ruinis, omnia humana, atque diuina iura, legeſque ſacratas labefactauit, & perdidit: quantus in Germaniā rigor, ac ſtupor ad pietatem fuit? propiore ſolis acceſſu concreta aſperitas animorum indigebat: acceſſit igitur ad Germaniam Gregorius, ſed cur acceſſerit tam eximijs beneuolentiæ argumentis video addubitatum à multis. Boreales regiones accedente per æſtatem ſole magis æſtuare, quam cœteras mundi partes, ſcriptores peritiſſimi tradiderunt: Huius de rei cauſa ambigant, qui hæc quærunt. Illud certò ſcio. Solem

noſtrum Germanicæ nationi tam feruidis amoris æſtibus incubuiſſe, vt eam præ cæteris caram ſibi, planeque ſuam publicis ampliſſimorum verborum, ac beneficiorum monumentis appellaret: imò verò magnificentiſſimum ædificium ad Sancti Apollinaris in eam gratiam extruere ſſe velle fatebatur: ſed metuebat, ne effuſior in Germanicum genus defuiſſe, cœteris nationibus videretur: cum præſertim eo tempore Sytticus Cardinalis ab Altemps de ædificando eo Collegio cum Gregorio deliberaſſet. Huius amoris certam ego reperio cauſam in natura etiam inſitam, cum virtute adultam, & à nemine adhuc allatam. Enim verò dum Germaniam amabat, in amorem Patriæ ferebatur Gregorius, quippe qui traheret inde originem antiquiſſimam è primaria nobilitate Saxoniæ deriuatam. Ea res in domeſticis huius familiæ comentarijs, & chirographis aduerſarijs habetur in hunc modum. Rex, atque Imperator magnus Otho ſecum in Italiam Boncompagnum Draconem, acrem, atque induſtrium è præcipuis Saxoniæ proceribus virum adduxit, quem etiam deuictis tandem hoſtibus Aſſiſinatum impoſuit Præfecturæ. Draconis huius filius à ſtirpe primus nomen Patris (vti interdum fit) cognomen accepit, retentoque ſignis in gentilitijs Dracone, Gregorij noſtri familiam in Italia primus inſtituit. Ex

quo

quo deinde effectum eſt, vt è Germania oriunda rediret in Germaniam per hæc ipſa Gregorij beneficia; quæ quanta olim fuerint, experimur in præſentia, dum detracto ſpolio prauitatis hæreticæ nudam Christi veritatem ſenſim aperiri videmus in Germania, & ornatiore cultu ſacrorum amplitudinem collucere, Scilicet & nos vbi calor proximi ſolis exæſtuat veſtimentorum onera ponimus, & nitidiore cultu incedimus æſtate jam imminente.

Sed Germaniam, imò & Suetiam, atque Noruegiam non diſſimili beneficiorum curſu prætergreſſus, Angliæ in extremis quaſſatæ Chriſti Reipublicæ fluctibus laboranti ſacram anchoram iecit Gregorius, dum ſuis ſumptibus fortiſſimos quotidie iuuenes obarmat, qui non ſolum in colligendo Patriæ naufragio, & reficienda communi ſalute opes; atque operam, vires ac famam inſumant: verum etiam æſtu egregio diuinæ mentis abrepti, atque in altum è conſpectu cōmunis virtutis abſtracti deuoto capite mortem inuadunt, & quorum maiores, & Auos inexpugnabiles vix, aut ne vix quidem coegit fortuna Cæſaris, vt Romanæ potentiæ ſubiecti viuerent, vltro iam nepotes ſuadente Gregorij benignitate in Romanæ religionis obſequio moriuntur. Et hos quidem Romæ educatos in vmbraculis Sapientiæ emittit quotidie

Gregorius in Solem, ac puluerẽm: alios vero è remotis olim terrarum ſpatijs Romam ad ſeſe fama nominis euocabat. Roma communis hominum Patria dicebatur antiquitus, ſiuè quod humanitas Antonini vniuerſum pænè terrarum orbem Romana ciuitate donaſſet: ſiuè quod ea totius humana generis facta capax nõ tam hominibus referta, quam ciuitatibus, & nationibus videretur. Sed, & Romæ Gregorianis temporibus nationes ferme omnes Pontificia humanitate donatæ, cum populorum Principibus morabantur. E Germaniæ nobilitate Princeps Cleuius Adoleſcens Romam venerat viſurus Pontificem, vbi cum ampliſſima eius fortuna Gregorianæ liberalitatis non egeret in terris, nouæ beneficentiæ fructum cæleſtem, ac planè diuinum in æterna animi ſui ſalute percepit. Etenim nobiliſſimus iuuenis Pontificia exceptus domo, dùm curat animi vulnera, in lethalem incidit corporis morbum: neqúe in re mala bonus animus aderat optimum condimentum ærumnæ: iam enim violentia morbi veluti de mente deiectus, non ſolum cibos, & hauſtus, ſed præſentiam medicorum, quos adhibuerat ſeptem aſſiduæ curationi Gregorius, ſed affatus familiarium, & ſacra Myſtarum colloquia ſtomacho pariter, atque animo faſtidiente reſpuebat: vt facilius cuicunque fuerit ægrotare velle, quam

quam huiuſmodi ægrotum curare. Præſtò fuit Principum omnium Pater, maternis planè imbutus viſceribus Gregorius, & præter lacrymas (ſolatium illud in tragędijs potius, quam in veris calamitatibus fructuoſum) opem etiam afferebat: cumque ęgrotantis animi medicus optimus oratio ſit, ſuauiſſimis verbis implacidiſſimum lenire iuuenem aggreſſus inſiſtebat medicinæ. Ex quo etiam factum eſt, vt quaſi Dyctamum transfixo pectori adhibuiſſet, furoris interni iacula ſenſim eximerentur e corde. quid plura? feroces animantes, quę ad omnem externorum hominum clamorem irritantur, audita beneuoli paſtoris voce manſueſcunt: ſic efferatę ex aliorum dictis iuuenilis animi perturbationes, ad amicam Gregorij vocem ita pacabantur, vt Adoleſcẽs antea vi morbi pænè furioſus morti libens acquieſceret in ipſo vitæ vel flore, vel robore.

Iam verò Lituanos Duces Radziuilios quanta comitate traxit, quanta liberalitate continuit? quorum alter Romæ retentus, & purpura ſacra donatus, dum optima virtutis indole ad ſummam virtutis gloriam eſfloreſceret, fructum honoris vberrimum vna Solis noſtri benignitate matureſcentem accepit: Alter non niſi plurimis inſtructus bonis in patriam redire potuit. Vt enim Reges olim adire plurimos ſine muneribus allatis populi

ſubiecti non poterant: ſic ab humaniſſimo Principe Gregorio diſcedere ſine acceptis beneficijs non licebat. Sed vltra Lituaniam longè progreſſus, Moſcos etiã ita fama ſuæ virtutis allexit, vt legatione miſſa Moſcorum Dux iudicem eum ſuarum controuerſiarum effecerit: in quo communem Principis modum prætergreſſus, veterem Auguſti gloriam impleuit, exterarum gentium ſuffragijs habitus terrarum conciliator, & mundi Pater. Nationum quandam maximè barbaram accepimus, cum defatigati bello veteres ſimultates componere cum hoſtibus vellent, ſolem ritu patrio, ſolemnibuſque ſacris propitiare conſueuiſſe; *&* longa ſupplicantium pompa per ſororem noctis dominam, matremque familias Latonam conceptis carminibus obteſtari, ac deierare, vti volens, ac propitius pacem cum hoſtibus adfirmaret: Sed longè ſapientius, quòd Gregorium eædem exteræ nationes vnum precabantur, vt controuerſias, mutuaſque cum hoſtibus pugnas dirimeret: cum principem in terris nullum ſoli ſimilem magis agnoſceret, quã Gregorium: quippe cuius virtus, ac bonitas ſine mercatura vtilitatum ſuarum, charitate gratuita per omnium gentium vitam ſerperet, nullamque temporum, locorumque partem, ſui expertem eſſe pateretur. quid enim? calore hactenus frigidas Aquilonis horas inflammauerit Gre-

go-

gorius: quid ſi frigerante etiam aura (vt ad Auſtrum cum ſole noſtro deflectat oratio) æſtuantes Aethiopum tractus recrearit?

Scio nonnullis politico ſupercilio tantam Gregorij liberalitatem inſpectantibus videri hæc præſertim in Aethiopas, alioſque immanes littoris Africi populos beneficia proiecta potius, quam collata fuiſſe: cum aliquando ſine vllo immenſæ operæ pretio redierint viri doctrina, & pietate præſtabiles, qui ad eas belluas ratione donandas peregrinationem longinquam difficilemque ſuſceperant. Tanta enim agreſtes ij Lapithæ, & Centauri feritate, tantaque peruerſitate mores effeꝛauerant, vt diras, ac funeſtas epulas, dictu quoque ferales, atque horridas in præcipuis delicijs haberent: tanta verò ſtupiditate mentis oppreſſi, vt eorum aliquando quamplurimi cum Auſtro infeſtiſſimo regionibus illis flatu inſtructa acie, collatiſque ſignis in puluere ventoſam planè pugnam commiſerint; donec hoſte reflante agglomeratis in nubem arenis ſuffocati conciderunt inſepulta obruti ſepultura. Has feras cicurare velle, hos hericios palpare, extremi furoris eſt. Prædones hi nefarij auro ne conciliandi, an ferro contrucidandi videntur? Sed profectò quædam in natura ſunt, quæ nocere non poſſunt, nullamque vim niſi beneficam, & ſalutarem habent, quales

men-

menteſ ſuperum immortales, qualis Gregorij benignitas Deo perſimilis: quid enim aliud Deus eſt (Philoſophorum Princeps aiebat) niſi animus generi humano beneficus? ſi cum ſingulis tantum hominibus & raro nobis loquendum eſſet, è rebus humanis eloquentia tolleretur: ita ſi paucos, & tantum amicos iuuare beneficijs Princeps deberet, neque liberalitas vnquam fuiſſet, neque ipſe Gregorius ex eodem naturæ vtero cum liberalitate prognatus. Demus igitur hoc laudi Gregorio, qui non Agricolarum more terram prius explorabat, quam ſementẽ beneficiorum ſereret, ſed ſyderum immortalium inſtar vitam, & ſalutem per omnia mundi membra vnus, idem omnibus, inſerebat. Solis hæc virtus, & innata laus eſt, vt quacunque pergit, excitata ſubinde multiplici ventorum aſpiratione, quaſi famulari flabrorum comitatu ſtipatus per meridiem etiam ipſum euentilatus incedat: Non diſſimili ratione fama Gregorij non fabuloſis Poetarum veſtita pennis, ſed aſſiduis benignitatis auris inuecta feroces populos ardentium arenarum incolas mira beneficiorum aſpiratione demulſit, miſſis ad eos fauonijs, ijs inquam hominibus, qui ſono illo aduenientis Spiritus vehementis impulſi volant, vt nubes, ibi patriam ſuam exiſtimantes eſſe, vbi bene ſint, ibi verò ſe bene putantes eſſe, vbi cum Deo, & Gre-
gorio,

gorio ſint. Quod ſi noſtri generis hominibus tam iucundum eſt carere Patria, & apud exteras gentes viuere cum Gregorij optima voluntate: longè maior exteris nationibus fœlicitas fuit Romæ degere cum ampliſſima Gregorij liberalitate: quippe qui ſingulis menſibus ſeptem aureorum millia inſumeret in excipiendis ignotarum gentium hoſpitibus, quos Romam vel domeſtica neceſſitas, vel communis calamitas Patriæ, vel pietatis amor, vel fama Gregorij perduxiſſet.

Sed nos dum ad ea, quæ Romæ geſſit ſenſim deuenimus, neſcio quò pacto, tanquam periti Nautę Auſtralem declinantes æſtum & ſalebram, ad occaſum, noſtras inquam, ad regiones appulimus vltimam Orationis partem meę. In qua cum ad noſtrum Solem accedere propius quaſi de vulgo prophanus debeam, maieſtate tanti luminis deterrerer, niſi optimè noſſem Gregorium facilitatis inauditæ ſpecimen, ac prorſus miraculum extitiſſe. Enimuerò ad tantum Principem non communibus modo ditionis ſuę curis intentum, ſed immenſis totius rerum vniuerſitatis negotijs ſemper implicitum, nō aperiebat aditum ambiendi dexteritas, adulandi lęnocinium, in ò nec vna claritudo generis, vel neceſſitudo Patrię, vel cognati ſanguinis affinitas: ſed quicunque humana mente, ac natura donatus erat, quicunque miſer, ac rerum omnium ege-

egenus, hic enimuerò potens, & gratio-ſus molles aditus, facilem cauſam, effuſum in ſe Gregorium ſentiebat, effuſum, inquam, non inanibus pollicitationibus, ſed humanis verborum officijs, maximiſque rerum beneficijs ſine diſſidio cordis, & linguę. O candida ſæcula veritatis, O aulam Gregorij cum ipſa cæli Regia comparandam, cuius veſtibula virtutibus, non fautoribus ambiuntur, in qua non niſi pro meritis palatina (vt ita dicam) ſuperum munera tribuuntur. Erat in Gregorio ſpecies Imperio par, quam ętatis auctoritas, & glorię maieſtas auguſtiorem & paulò ſeueriorem reddebat intuenti procul: ſed accedenti propius, tanta facilitatis, ac liberalitatis opportunitate ſe dabat, vt vnuſquiſque etiam eorum, quos contra ſtatuiſſet, ęquus, pacatuſque ſemper abſcederet. In celeberrimo Græcię templo, Lunę facies ad ſublime tecti faſtigium eo picturæ artificio deſcripta erat, vt introeuntibus ſeuera, & ſubtriſtis, exeuntibus verò fauſta, atque hilaris appareret. Sed noſtri Solis aſpectus ita non iniucundus adeuntibus erat, vt abeuntibus non poſſet non accidere iucundiſſimus. Enimuerò (ne leuia pręter mittam, dum propero ad grauiora) conſueuerat apud ſe clam adſeruare Gregorius pecuniam ingentem, diſtributim incluſam varij chartarum integumentis, & vt quemque accedentem ad ſeſe egere

ma-

maxime cognoſcebat, accepto ſtatim quaſi temere ex arca inuolucro donabat, dicebatque cape fili ſortem tuam; vtinam tibi bene nummata contingat. Veniunt in mentem hoc loco mihi ſacræ ſortes, quas olim in templis Deorum religioſè habitas, & in arca penetrali reconditas vittis, ac tænijs inuolutas adſeruabant Pontifices, cumque publica aliqua clades immineret, ſortes illas exteniabant, iiſque inſpectis futura mala diuinabant: Verum quam fœliciores Gregorij noſtri ſortes fuerunt, quibus euolutis non impendentia mala publica videbantur, ſed priuatę calamitates leuabantur. Quę ſanè beneficia, quia priuata ſunt, & Chriſtianę eleemoſinę nominantur, non propterea non immenſa, non infinita propemodū ſunt. quot enim, & quanta munuſcula vno hoc iam verbo comprehendam? ducenties centena, & quadringenta millia aureorū in egenos à Gregorio diſtributa ſunt. Plurima vno verbo dixi, ſed non omnia, plurima ſed non maxima. Pontifex Romanus iamdudum plus quam regia opulentia potens, pollenſque de tot ciuitatum vectigalibus, ac tributis, è publicanorum ſyngraphis, & rationibus, è portis, & portibus, ſyluis, & ſaltibus, ex agro ſatiuo, & ſcripturario, ex pręda, atque manubijs, ex liberalitate Principū, & officijs populorum, Romanus, inquam, Pontifex Gregorius, tantam pecuniarum ſum-

ſummam in Chriſtianæ pietatis gratiam effuderat, vt aliquando ad inopiam extremam redactus, doleret, ne ſtipem quidem vnciariam ſibi per id temporis relictam eſſe, quam in ſuos pauperes erogaret. Hęret animus, conſiſtit Oratio mea, quo enim tandem conferre ſe poſſit? ad Cęſaris clementiam proditorum ſuorũ altricem? ad comitatem Titi neſcio quo gloriæ quęſtu venalem? ad liberalitatẽ Traiani finibus humanis iiſque breuiſſimis comprehenſam? Quiſquilię ſunt iſtæ nominum, ac pœnè ſordes. Vnum, vix vnum Gregorium, eumque magnum reperio Gregorij noſtri æmulum, glorięque conſortem. Soles duos cœlum non patitur: duos Reges æquos imperio non ferebat Aſia: vix duos Gregorios Eccleſia Chriſti habuit in liberalitate non impares. Inauditum eſt hoc, & ſupra quam fides humana pati videatur beneficentię, comitatiſque miraculum. Sed facile quis veritati manus dederit, ſi ad ea quæ diximus, adiungat, vectigalia populo Romano ſublata, Vrbem Romam ampliſſimis vijs, Pontibus, Porticibus, Carceribus, Horreis, Gymnasijs, Baſilicis, Concameratis Arcubus, limpidiſſimas aquas per exciſas Regalibus ſumptibus rupes deducentibus, alijſque magnificentiſſimis operibus nobilitatam. Quid hic ego referam tot, ac tantas religionis cauſa ſumptuoſas Aedes extructas, eas præſertim, quas

Vir-

Virgini Deiparæ, ac tutelari Gregorio Nazianzeno ſacrauit, tectorio inductas non marmorato ſolum, ſed inaurato & gemmato; cælaturis opere multiplici, quà læuore, & candore, qua nigricante, aſperoque lapillo diſtinctis, & faſtigio non ſine Adamante & carbunculis turbinato: ſimulacrum Virginis auguſtiſſimum media excipitur ara, & ſpeculari lapide vndatim criſpante cingitur ad proiecturas qui ſiuè materiæ ipſius dote reſplendeat, ſiue artis lenocinio fulguret, quamuis defixis obtutibus fucum facit.

Sed ampliſſima hæc Romani Collegij ſ, diſciplinarum inquam omnium ſedes, ac domicilium, quantæ pietatis opus, quanti operis munificentia ſit, vel ex eo diſcimus, quod ad faſtigium perduci non poteſt. Vaſtiſſimum areæ ſpatium fundamentis immenſæ altitudinis occupatum, cum in imo non eſſet ſolidum, ſed locus vbique congeſtitius perenni humore ſcateret, lapidibus, & cementis aggerari, ſublicisque directis, & pronis, ſtructura ſolidiſſima impleri, & parari vix tandem potuit, vt hanc arcem literarum omnium ſuſtineret. Ipſa verò frons ædificij quãta molis amplitudine, qua ſoliditate materiæ, ſymmetria partium, deſcriptione membrorum, ornamentorum artificio quaſi miraculo ſemper nouo nos detinet? Tyburtino lapide quadrato per interualla diſtinguitur, neque polito nimis, aut va-

riato

riato ſegmentis & cruſtulis, ne venuſtati lenocinium officiat operis maieſtati: veſtibulum perilluſtre ambulationes aperit teſtudinatas, qua pilis ingentibus opere dorico, atque corinthio elaboratis erectas, quà cinctas exedris ad omnem ſapientiæ concertationem accomodatis. Nihil tamen eſt in noſtrorum ædificiórum molitione tam amplum, ac diuturnum, quod cum veterum templorum, & baſilicarum ſoliditate, atque amplitudine comparetur. Verum ſi Principis munificentiam non tam mole tectorum, quam ciuium vtilitate metiamur, inchoatum hoc Gymnaſium ſapientum cum abſolutiſſimis antiquorum palæſtris, ac thermis, circis, & hippodromis conferendũ, puto. Quamuis enim publica etiam tum Gymnaſia quadratis periſtylijs, & ſpatioſis exedris diſpoſita, aliqua ſaltem ex parte diſputationibus Philoſophorum, Rhetorumque ſcholis donarentur, & Ephæbæa ad corporum ſimul, ſimul animorum exercitationes in puberum gratiam extructa eſſent; eorum tamen, alij quidẽ proximo Athletarum clamore perculſi diſcũ, quam philoſophũ audire malebant, curſuque, ac lucta, pugilatu, & pila ſaliẽdo fieri ſapiẽtes volebant: alij verò vicinis Thermarum illecebris allecti naufragium in ipſa balnearum malacia faciebant ad incontinentiæ ſcopulum illum adeò mollem ac delicatum, vt Auguſta Neronis vxor

eò ſecum fœtarum quadrupedum multitudinem ingentem adduceret, vt augendo cutis candori totum corpus lacte maceraret. Quis illa ſapientiæ ſtadia dixerit, & non potius paleſtras amentiæ? Effæminatorum vmbracula ea fuerant circulatorum circi, turpitudinum gymnaſia, theatra dedecorũ, flagitiorum nundinę, vitiorum officinæ, virtutum, ac bonorum omnium ſepulturæ. At hic quãtò melius collocatæ, quãtò cuſtodię vallo munitę ſunt ſtationes Muſarum? Vbi non ab exedris ſapientum ad arenam gladiatorum, è puluere ad ſphæriſterium, è balneis ad reunctores, ad impuras hortorum delicias, ad cænas immanes, & vinolentiam furioſãm, ad phana ſacrilega iuuentus Romana ducitur: ſed puberes ex ipſo latinæ linguæ veſtibulo per humaniorum ſpatia litterarum, ab eloquentiæ roſtris ad hemicyclos philoſophiæ in puluerem mathematicorum, per antiqua iuſſa prudentium, per hanc rerum vniuerſitatẽ, per nobiliũ artium officinas omnes, quaſi manu præhenſi trahuntur. Iam ex Academiæ concertationibus ad Parthenianı virtutis palæſtram ad fructuoſa laudum omnium ſeminaria, ad Matris Auguſtæ conclaue ſacrum, vbi elutis animorum ſordibus, veluti de Chriſti balneo nitidi, non ad Cæſaris congiarium, aut ſordidum puluinar Deorum, ſed ad Numinis Epulum, veram immortalium ambroſiam ac nectar deducuntur. Quo

nos

nos igitur in loco reponimus incæptum hoc munus immortale Gregorij ? ſed frequens nimirum, & commune iam eſt; cum Sole quotidie ad publicum æris noſtri campani ſonitum expergiſcitur nobiſcum: Euiluit, beneficia, quæ ſingulis, & cuiuſcunque ordinis hominibus collata ſunt, priuata cenſentur, fuerint igitur hæc priuata, ſi Deo placet: Ea publica omnino ſunt, Imperatorem Gregorius in Germania, Reges Chriſtiani generis omnes, omnes fermè Europæ Principes, ac Dynaſtas, & expeditæ militiæ, & numeratæ pecuniæ ſubſidijs præſentibus adiuuit, ac roborauit, labentem Chriſti religionem infinita pecuniarum erogatione ſuſtinuit, vniuerſum denique terrarum orbem beneficijs vndique conſtrinxit, & occupauit. Sed parum eſt occupare terras, cœlum petere beneficijs Gregorianum eſt.

Principum, ac ſapientum omnium, omni æuo ea fuit antiquiſſima cura, vt conſtantiſſimam errantium ſyderum inconſtantiam, annorumque ſpatia curſu nobis incerto reciproca ſtatis limitibus definirent. Sed exitus conatui ſuccedebat impar: annus enim Methonicus, Eudoxius, Platonicus, alijque permulti de nominibus auctorum appellati à paucis primum recepti, reiecti demum ab omnibus fuerunt. Romanum annum menſibus decem diſtinguere tentauit Romulus armorum tractatione feliciòr, quam ſupputatione nu-

numerorum. Numa Pompilius annum, antea nulli ſyderum curriculo exæquatum, menſes duos adijciens, lunæ conuerſionibus accommodauit, & Pythagoræ ſui (vt ferunt) magiſtri æquabilem ſeſe inueniſſe concentum exiſtimabat. Sed Luna ſydus inconſtans ſæcula ſtabilire non poterat. menſium intercalatio vaga, & ſingulis Octennijs incerta cum mercatorum, ac Sacerdotum arbitrio male concredita eſſet: Iulius Cæſar terra, marique, cęlo denique fortunatus Solem, à quò viciſſitudines dierum, ac noctium quadripartitæ naſcuntur, tanquam ſæculorum parentem, annorum gubernationi præfecit, in quo vetera etiam diſſidia temporum æterno fœdere compoſita videbantur: niſi earatio vel ipſis Auguſti temporibus deprehenſa fallax oſtendiſſet, nihil in natura eſſe difficilius, quam res cœleſtes, ac diuinas humanis rationibus velle conſtringere. Acceſſerunt ad Sapientes ac Principes prophanos Sacri Reipublicæ Chriſtianæ proceres, ac magiſtri, antiquiſsimi Nycęnæ Synodi Patres, quorum pro ſe quiſque fecere ſedulò ſub Conſtantini fœlicibus auſpicijs, vt anniuerſariam Chriſti de morte victoriam in communi faſtorum, certaque ſtatione collocarent. Acceſſere demum Romani Pontifices, inter quos Nicolaus eius nominis Quintus experientiſsimos Aſtrologos adhibuit, qui mobilem omnem cœli regionem ſuſpen-

ſis

ſis animorum, ac numerorum gradibus emenſi renunciauerunt, arduam, ac planè inuiam eſſe Aequinoctij verni ſedem, vt eam ne peritiſsimi quidem eorum locorum eſſent vnquam aſſequuturi: Igitur abiectis animis, ſpeque cœli nobis reconciliandi prorſus acciſa, mira temporum, negotiorum, ſacrorumque commixtio ſequutura videbatur. Etenim vna ciuitas dies ageret ſtatos, alia comperendinos, vna cineralibus operaretur, alia baccanalibus otiante, vna requietem litium celebraret, alia ferias comitiales & conceptiuas, vaga & incerta nundinarum fuiſſet indictio, iudiciorum adminiſtratio, inauguratio magiſtratuum, celebratio connubiorum, ſumma vitæ ciuilis confuſio, ſumma rerum omnium perturbatio. In tanta errorum caligine cœliqne tenebris ſerenitas expectari e terris non poterat. Sed nimirum annòrum ſeriem certa lege diſponere, & vagam cœli Rempublicam conſtituto ſæculorum iure ſtabilire, ac regere quemadmodum in cœlo ſolis vnius negotiatio eſt, ſic in terris vnius Gregorij procuratio eſſe debuerat. Quod igitur rei priuatæ, ac publicæ fœlix, Quod otio, atque negotio fauſtum, quòd domi, foriſque ſalutare, quod præſentibus poſteriſque omnibus fortunatum bene cælo, terriſque verteret GREGORIVS tertius decimus fauſtiſsimis, & nũquam antea ratis auſpcijs non annum aut

aut olympiada, ſed immenſum ætatum omnium ambitum, temporumq. complexũ ipſam ſæculorum vniuerſitatem aperuit, fœlicitatemque poſt genus hominum natum à noſtris, & barbaris, Sapientibus, & Regibus, Imperatoribus, & Pontificibus omnium populorum votis, ac ſtudijs infælicitèr attentatam fælicißimè conſequutus, conatum Romuli, Numæ prouidentiam, fortunam Cæſaris, Conſtantini gloriam ſuperauit.

Iam vero cœlo pariter, ac terris luce nominis, & gratiæ longiſſimè, latiſſimèque perluſtratis, occidere tamen debuit apud mortales hic ſol, vt apud ſuperos illuſtrior oriretur. In cuius occaſu lucis, quas iam tenebras ingreditur oratio mea recedente clariſſimo die, quantum imbrium ex dolore, quantum caliginis ex fletu conſequutum eſt. Senio iamdudum implicitus tenebatur Gregorius, & quò minus viæ ſibi ſupereſſe videbat, eò plus viatici cęteris diſpenſabat: ferunt enim tribus ætatis ſuæ poſtremis annis, tanquã fluuium mari iam proximum longè maximo liberalitatis impetu ad metam properaſſe. Nimirum qui non voce, atque opere ſolum; ſed auro etiam loquente religionem, ac bonas artes mundo ſuaſerat, in poſtrema vitæ ſuæ, quaſi cuiuſdam Orationis parte, conglobatis, & amplificatis rationibus perorabat. Vniuerſum terrarum orbem liberalitate aggreſſus be-

nèficijs expugnauerat, quid ni cæli quoque ipſius oppugnationem tentaret? Notum Philippi Macedonis dictum, Vrbem eam ſuperari facile poſſe, in quam magnum auri pondus intrare potuiſſet. Argenteis profectò haſtis vel ipſum cælum expugnabile eſt: auro, atque argento in cæleſtia quædam (vt ita dicam) arma fuſo, atque effuſo pugnarat Gregorius; Chriſti pauperes arcis illius cuſtodes ingenti pecuniarum erogatione conciliauerat, ſecurus in triumphalem portam pergebat per viam non lacte conſtratam, quà ferri Duces Heroici falsò dicebantur, ſed pretioſo caritatis auro ſuppactam. Heroes veteres poſtquam ſumma gladiorum impunitate vrbes alienas oppreſiſſent, euertiſſent arces, familias funeſtaſſent, & tanquam publici mundi latrones quidam omnia bona, fortunaſque gentiũ ad prædam ſibi propoſitas rapuiſſent, aris, ac templis donati fuerunt à maioribus noſtris, qui eorum etiam res geſtas non exaratas literis in comentarios perituræ memoriæ, ſed ipſis ſyderum figuris expreſſas in æterna cęli volumina retulerũt. quin igitur id agimus ſapiẽtes, & quando defenſorem non Vrbium ſed Orbiũ, qui tot literarum arces extruxit, tot familias erexit, tot bona per vniuerſum terrarum ambitum contulit, quando inquã, Gregorium ipſum cęlo donare non poſſumus, obliterata ſaltem Herculis, & Bacchi me-

mo-

moria,inuerſiſque meliores in facies aſtrorum figuris hæc ipſa Collegiorũ ædificia aliaque Gregorij munera transferamus in cęlum cęlique Zonas mutato ſyderum nomine, non immanibus ferarum vultibus, ſed beneficis humanitatis Gregorianæ ſimulacris impleamus: Verum haud indiget ſplendidis nominum titulis virtus innixa rebus,& factis,neque externum ſyderum colorem æſtimat, qui ad interna cęli penetralia callem ſibi ſemper aperuit. Atque aperto quidem calle, vt leuis, atque expeditus properaret,ſolẽne ieiniorum curriculum ſeuera ciborum abſtinentia fermè peregerat, cum noua quadam deficientis vitę laſſitudine correptus requietem expectabat in cęlo. Quid enim expectare poſſet in terris, qui bona omnia terrena donaſſet? Menſis Aprilis vertebat medius, & quo potiſſimũ tempore Berecinthya liberalitatis mater antiquitus credita Romam aduecta primum dicitur: eo Gregorius beneficentię Pater Roma per mortem ereptus eſt: quamquam non rapitur qui ſponte ſe donat: ferunt enim cum ſacro ad ſupremam luctam oleo inunctus, de vicino exitu moneretur à ſuis afferentibus lacrymas & ſingultus (primam illam naſcentium vocem, & morientibus poſtremam exhibitam) reſpondiſſe Gregorium, nihil eſſe, cur de communi lege mortalium, quą quiſque damnatus eſt cum primum

natus, quærerentur. Sed quò minus conquerebatur ipſe, eo maiorem nobis materiam conquerendi ſuppeditabat: cuius acerbiſſima recordatione cicatrix nũquam obducta ſenum recrudeſcit, & poſteris nouum quotidie vulnus infligitur, quippe quibus oculi conceſſi fuiſſe videantur non ad videndum, ſed ad deflendum hunc Solem. Iacebat igitur lectuli affixus anguſtijs, qui benignitate complexus mundum iacentem erexerat, & ſolatio recreabat æger adſtantes incolumes: quamquam in tanto Reipublicæ vulnere ſanus eſſe quis poterat? Ruebat propugnaculum illud bonarum artium, atque virtutum, nec ruinam amoliri ars vlla, virtus vlla poterat, quam natura vna moliretur. Ruebat firmamentum Religionis, ſub cuius aſylum dotata virginitas, erecta viduitas, reſtituta libertas, egeſtas locupletata, ſplendor Vrbis, maieſtas imperij, ordinum omnium decus, & amplitudo, omnium nationum ſalus, ac vita ſeruabatur. Quis retinere lacrymas potuiſſet in tam profuſo luctu naturæ? Profecto ſi Romæ conſuetudo ſcytharum barbara viguiſſet, qua cariſſimus quiſque ad Principis ſui rogum, occupato in ſemet carnificis miniſterio, concidebat; ſi quicunque beneficio Gregorij vixerant mori cum authore vitæ debuiſſent, ſi quicunque amore Gregorij maximo tenebantur, ad eius rogum oppetere

voluiſſent, quot in vno interitu funera vidiſſemus? non ignobili cæde ſeruorum, ſed ingenuo, ac ſenatorio, ne dicam regio ſanguine parentatum publico dolori fuiſſet. Vt à barbara Turcharum ſeruitute redimatur vita captiuorum, multa ſolet apud Chriſtianos Principes corrogatio fieri pecuniarum: ſed ſi mortales à mortis eripi ſeruitute poſſent, noni permultos, qui Gregorium non effuſione pecuniæ, ſed erogatione ſanguinis, ac vitæ reuocaſſent. Sed reuocare Gubernatoré à curſu dum portui vicinus inſtat, irritus labor fuiſſet. Gregorius enim propinqua dulcedine vitæ melioris allectus, ſymbolum fidei ab Apoſtolis traditum vſurpans, cùm ter Chriſti ſe Cruce munijuiſſet, incerto ſermone Ieſum appellans, ad Ieſum appulit, noſque (niſi fallor) Patres, ea ſanctiſſimi nominis appellatione donatos poſtrema voce compellauit; Compellauit ille: reſpondendum nobis omnino eſt. Sed quibus gratiarum officijs tantis beneficijs reſpondemus? Reſpondere lacrymis vanum eſt: tum quòd ille fæliciſſime degit in cælo, tum quòd prius dolor ipſe nobis deerit, quam cauſa dolendi. Admiratione incredibilem perſequi munficentiam dulcis labor eſt, ſed fructus nullus. Reſpondere vocibus Oratorum, & Poetarum officium veritatis eſſet, ſed cum adulatione commune neque tantus Heros violis ac roſis tantū-

coronandus videtur. liberalitatem Gregorij deſcriptis in hac Aula Collegiorum ædificijs coronare, vt olim Cybele beneficentiæ Dea exiſtimata, caput circumdediſſe turribus dicebatur, ingenioſum munus eſt, ſed quod lineis creditum cum coloribus euaneſcet, ac defluet. Famam Gregoriani nominis per tot Adoleſcentium animos propagare, immortale donum eſt, ſed humanum; Iuſta funebria annua Sacrorum celebritate perſoluere diuinum profectò ſubſidium eſt mortuorum, ſed tantis beneficijs omnino parum. Aliò nos vocat ſuprema Gregorij vox, alio nos vocat hæc tantis ſumptibus inchoata regia Sapientum, quæ cum non niſi religioni, ac bonis artibus conſecrata ſit, apertè nos monet, nullam aliam gratam animo, parem beneficio reperiri à nobis gratiam poſſe, niſi in laborioſa doctrinarum, ac virtutum tractatione verſari, optimamque viuendi diſciplinam vita magis expreſſam, quam literis in omnium nationum cordibus, moribuſque deſcribere. Hoc enimuerò noſtri Solis curriculum eſt, obire mortalium animos luce veritatis, & calore virtutis: Hæc profectò Gregoriana dies eſt noſtro in Solario breuiſſimè notata, quæ per Auſtrum, & Aquilonem, per Ortum, & Occaſum ſemper exoritur ſine occaſu lucis, & nominis.

D E

DE CHRISTI MORTE.

ORATIO

Habita die Paraſceues in Sacello Pontificio.

CVM luctuoſæ acerbitati doloris ſolatium magnum afferat contemplatio felicitatis, ſi qua de calamitatibus conſecuta ſit; ad moderandam verò proſperitatis humanæ lætitiam non mediocriter conferat inſpicere miſeriarum exordia, ex quibus enata eſt gloriæ celſitudo: rationi maximè conſentaneum fuit B. P. vt de funeſtiſſimis Chriſti patientis ærumnis in hoc felicitatis humanæ conſeſſu, ac principatu non ſine commemoratione felicitatis ex illius clade miſera deriuatæ diſſererem, oſtenderemque breuiſſimè in vna Chriſti cæde, eiuſque Diuini corporis excidio, ac ruinis, veſtræ inſignia dignitatis, ſplendorem purpuræ, poteſtatem iudiciorum, ſacerdotiorum infu-

las, coronamenta Regnorum, Sacroſanctum Chriſtiani huius Imperij principatum, maieſtatemque fundatam.

Vt igitur ab Horto Gethſemani ordiamur, quod in eo primas, & amariſſimas radices egerit noſtra felicitas, mira ſe facies calamitatis obiectat: Quid enim hæc ſubita ſine hoſte cædes, ſine vulnere cruentatio? Quid hic ante corporis funus, publicus luctus membrorum? Nimirum prouocatio prima certaminis nō atramento, ſed ſanguine per vniuerſa membra deſcribitur ſtylo doloris. quodnam erit externum bellandi negotium, ſi domeſticum otium cogitandi tam ferox? qualis erit aperta vis facinorum, ſi ciuilis diſcordia cogitationum tanto cruore deſæuijt? Illud tamen longe admirabilius eſt, quod in hac velitatione doloris pacata veſtrorum gaudiorum ornamenta, hæc inquam ampliſſimi ordinis, ac magiſtratus inſignia purpurea conflata ſunt: Neque enim tam humanarum virtutum ſucco, quam huius Chriſti ſanguinis colore veſtimenta ſacrorum Antiſtitum purpuraſcunt.

Verum Chriſtus interea ſui ſanguinis aſpectu animatus ad prælium, & ſudore quaſi oleo paleſtræ perunctus, ipſam alacrior pugnam aggreditur: Inſtat enim vociferantium ſicariorum clamor inconditus, inter quas latro nefarius ex auiditate pecuniæ in auaritiam ſanguinis, ex

more

more degenerat. Fæcialis omnium fœderum fœdator, ac ruptor inter amicos oſculorum. anhelitus odij venena deſpumans, principium pugnæ per crudeliſſimam vrbanitatem, indixit. Neque iactu lapidis, aut haſtæ, ſed vnius oſculi affixione, communi illo amoris iaculo ipſum amicitiæ iugulum petijt, pacíſque nomē, atque omen gentibus omnibus commune transfixit. Primam Ducis malefici fraudem quaſi vulgata ſubito contagione facinoris excipit hoſtilis impetus ſatellitum furioſorum, qui latronem ductorem ſecuti latrocinio inhumaniſſimo Diuinum corpus, opulentum illum bonorum omnium theſaurum inuadunt. Immo cum per auriculam Malco reſtitutam audire omnes, atque intelligere debuiſſent, incredibilem benignitatem hominis; eum tamen tanquam belluam agreſtem adoriri inſiſtunt, venabulis aduolant, prædamque reportaturi viuam coniectis tantummodo vinculis retiarij pugnatores irretiunt, ſed quantum libertatis inter hos mancipiorū laqueos exoluitur generi Chriſtiano? per hæc ferrea vincula Zonæ aureæ, ac teniç ſacerdotum collo, ac pectori implicantur. Tibi, certè B. P. ſeruilibus hiſce catenis Chriſtus alligatus, ligandi atque ſoluendi poteſtatem illam Cęlo, terrilque formidandam parauit.

Capra mitiſſima pręda clamore turbulento concitatę multitudinis trahitur;

quaſi in triumphum per Pontificum Aulas, vt non niſi Sacerdotum manibus morti victima ornaretur; Virtus igitur ad tribunal inuidiæ vocata ſilebat. Caſtiſſima Veritas inter impuras Aulicorum irriſiones ne hiſcere dignabatur quidem, niſi ſacrilego Pontificis Sacramento Chriſtus adactus, patrocinari veritati paucisſimis verbis debuiſſet; ſed vix ſumebat exordium Veritas, cum impacta per ſummum dedecus alapa miles gregarius pro mendacio perorauit: Os enim illud aureum eloquentię cæleſtis obtunditur à Thraſone dicam ne? an Paraſito? quippe qui gladiatoriam percutiendi licentiam fæda etiam adulandi ſacerdotibus arte turpauit: cui gemino & ignominię, & doloris ictui Chriſtus occurrens ita patientiam iniurię prębuit, vt falſitatis calumniam reſpondendo repulerit; quia enim miles ignarus errauerat; docendus: & quia barbarus inſultauerat, patienter ferendus fuit.

Quamquam hęc prima rudimenta facinorum ſunt, altiorem ſchola hęc dabit Patientię eruditionem. Maiore enim ſcena ludiones illi barbari crudelem etiã faciunt hiſtrioniam, dum Dominum circumſiſtentes medium, velatis oculis, quaſi Ariolum perſonatum ludificantes iniurioſa geſticulatione laſciuiunt. Ilicet, facie Diuini ſolis abſcondita, quaſi in obſcuriſsima nocte, tutiora diſcurrunt

flagitia, impunè volitant officioſa dede-
cora, licentius hac, illac perſtrepunt ex-
puentium ſibila virulenta: Verum tū,
Domine, ſpecioſus nobis vbique es præ
filijs hominum, ſiue tu cæleſtes inter
Iuuenes luculentus effulges, ſiue inter
hos fædiſſimos laniones liuoribus defor-
matus horreſcis. Quantum enim lucis,
& gloriæ protulit nox illa intempeſta
dedecorum? Nimirum ex hac impiorum
hominum irriſione, ac dehoneſtamento
prodijt arcanus ille ſenſus pietatis, quo
limina ſanctiſsimæ ſedis huius intrantur;
in hac iniuriarum officina elaborata eſt
ſupplicatio publica gentium, pedibus
ſupremi Antiſtitis obuoluta, & commu-
nis hæc erga ſacros Dynaſtas veneratio
populorum.

Sed quando tam inurbana Chriſto fue-
rant Iudæorum tribunalia, accedamus
ad iudicia Romanorum. Etenim incerta
etiam tum luce euigilauerat iam Inuidia,
& rabies Sacerdotum, occupatoque
Romani Præſidis foro capitalem reum
agunt lege maieſtatis, & quando teſti-
monijs iudicij formam experiri timent,
vociferationibus, ac minis nundinatio-
nem Romani iuris expoſcunt. Iudex
Romanus cùm delatorum potentem in-
uidiam pertimeſceret magis, quam rei
innocentiam imbellem amaret, quaſi ſe-
met inter iuſtum Iudicem, & miſericor-
dem Romanum partitus, ex æquo, &

bono per condonationem, & veniam, iniquiſſimam verberum lanienam indixit: O immitiſſimam parcendi miſericordiam. Corpus innocentiſſimi Iuuenis, quia nullo ſcelere induebatur, ideo condonationis & mercedis loco: nudationi publicæ, rapinæ, vulnerationi, cædi nefariæ traditur ſatellitum Barbarorum. Qualem excogitare poterit atrocitatem pænarum crudelitas Tyrannorum Thracum, ſi condonationem, & veniam huiuſmodi comminiſcitur clementia Iudicum Romanorum.

Sed miſericordiæ Iudicis ſacerdotes etiam ſupparaſitantur, dum in laniſtas degenerantes, lorarios etiam conductos pretio emittunt in atrium ad gladiaturam in tenerrimo Chriſti corpore exercendam. Hic ego quam ex animo inter verbera lacrymis perorarem potius, quam verbis! Quam libentius ad marmoream columnam hoc ſanguinolento flumine circumfuſam, tanquam ad ſcopulum, frangerem orationem meam! Sed ò miſeros delicatiſſimi Principis cruciatus! quid ego perfugium, & fulcrum illud Domini mei collabentis, ſcopulum ferum appello, cum ille tam atroci verberum tempeſtate iactaretur, vt, vnam ad columnam tanquam ad portum aliquem requietis ægris & fatiſcentis membris omnibus niteretur: Quamquam inter omnia membra, vnum (credo) caput immune, ac-

ac liberum à pænis euaſerat. Igitur in ipſum inuolant, & quia per otium etiam ſæuire didicerant, è gladiatorio ludo conuertuntur ad mimicum: ſpinetum enim atrox, regalis thiaræ modo faſtigiatum Regi purpurea chlamyde paludato & geſtāti arundineum ſceptrum infigunt. Cernitis hic ipſi per vos, quibus è ſpinis coronamenta veſtrorum capitum germinauerint: Videtis, quibus guttis tinctæ, quibus pyropis diſtinctæ reſplendeant ſublimes inſulæ.

At nos dum inſulis velatam cernimus victimam, quid expectare aliud, quam mortem iam iam imminentem poſſimus? Neque vi tamen victima ducitur, ſed ſua ſponte, corporis quaſi cadauer trahit inſepultum ad Caluariæ montem, quo alacriter ſuperato trabem etiam funeſtam conſcendit, eaque velut egregius gubernator inuectus, vt ita dicam, per ſanguinis fluctus immenſos vitæ ſuæ miſerandum naufragium fecit, vt nos porrecta veluti tabula incolumes ad portum felicitatis appelleret. Hæc enimuerò quales opes ex effracto Diuinitatis totius ærario fuſæ ſunt? veſtimentorum manubiæ militibus, interfectoribus venia, latronibus triumphus in Cælo, Diſcipulo mater in terris, Sacramentorum theſaurus Eccleſiæ, Summo Pontifici innumerabilium ditio populorum, nobis denique vniuerſalis hæreditas ſupremæ ſalutis obuenit: dum enim

Pa-

Parens optimus inopia, nuditate, ſolitudine, ſqualore, macie, dolorum acerbitate, funeſtiſſima cæde conficitur. Viuimus nos in affluentia bonorum omnium, immenſa opum copia fatigati; ſtipatorum exercitu premimur, vectigalibus ac tributis oneramur, honorum maieſtate, lautitiarum elegantia, luxu etiam voluptatum laboramus

Quonam igitur animi ſenſu quam ſiccis oculis, noſtrarum opum, honorumque amplitudinem inſpicere poſſumus in atrociſſima Parentis noſtri clade naſcentem? Profectò ſi miſeram conditoris ſui mortem communi luctu rerum omnium, Natura ita defleuit, vt in tanto fragore corporum vox oratoris audiri iam non poſſit; nos vitam potius noſtram taciti apud nos priuatis lacrymis, ac dolore proſequamur.

DE

DE
Legislatore Cordium Amore Deo.

ORATIO
Habita die ſacro Pentecoſtes.

LATVRVM ſe nouas leges in cordibus poſterorum promiſerat olim Deus; & promiſſi fides apud nos hodie ſtetit, cum cæleſtis Amor ſoluta veterum diſciplina per igneas linguas ius æternæ libertatis indicit: quod cum materiem præbeat admirandi multam, locum facit philoſophandi, ſed paucis. Cur enim alijs Cæli poſthabitis magiſtratibus vnus eligitur ferendis legibus grauiſſimis Amor, quem tenerum, & nondum ſumpta virili

toga puſillum non ſine aliqua cauſa ſapiens fingebat antiquitas? cur leges non ferro, non calamis; ſed linguis & facibus non in tabulas, aut æs, aut marmor, ſed in carnis humanæ codices obnoxios deletioni refert? Sapientum profectò vox eſt legem æternum quoddam eſſe, quod vniuerſum mundum regit, imperandi, prohibendique ſapientiam, atque conſilium, amorem vero omnis legis expertem nullo conſilio viuere, nihil habere penſi, aut moderati, germanum furoris vel prouerbia ipſa declarant: quem legislatorem eſſe præpoſterum vel ex hoc etiam vides, quòd cum lex eſſe dicatur magiſtratus mutus; ipſe tamen vnum magiſterium linguarum legibus ſanciendis adhibeat. Et conditores quidem legum nonniſi ſeuerioris notæ Principes viros vt Draconem, & Solonem, Pytagoram, & Lygurgum, Radamantum, & Minoa, fuiſſe olim accepimus; ſimiles, nempè legibus quas & ſurdas & inexorabiles eſſe fatemur omnes vt omittam ſyderales fabulas, quæ Saturno potiſſimum ex natalibus aſtris vim legiferam tribuerunt: Amor contra plenus illecebræ, voluptarius ad omnem animi remiſſionem, atque delicias cum filijs hominum, ludens etiam in orbe terrarum, deſcendit, vt ſi diſſoluendæ leges omnes eſſent, quis toto Cælo magis idoneus author ad nos accedere potuiſſet! qui

etiam

etiam cum popularis omnino ſit, atque flexibilis optimatum grauitati repugnans conſtituere plebiſcitum fortaſſe queat, legem ſancire non poterit. At, inquies, è Cælo propterea mitti inter ſonitus, ac ſpiritus, facibuſque in linguæ ſpeciem prolucentibus quaſi prælatis Imperij faſcibus maiorum gentium D uus renunciatur: At hoc ipſum inauſpicatò accidit maximè: Cælo enim tonante iura dari terris prohibet Romanorum lex, & conſuetudo gentium vetat: tranquillum tempus, & æquabile poſtulat auguſta hæc tractatio regnantis iuſtitiæ, quæ mundi ſerenitas eſt, & æquamentum. Adde, quod firmitudinem, atque conſtantiam in tradendis, ac retinendis legibus tantam expoſtulant rerum publicarum principes, ac magiſtri, vt optione data, pro communi bono maluerint aliqui malis legibus viuere conſtanter, quam bonis vti inconſtanter, ac turbide, & vnus ille tandem finis legibus propòſitus eſt, quies & tranquillitas Ciuitatis. Quid ergo legibus cum Amore, quem nudum, ac leuem, pennis inſignitum, inquietem, ac planè volaticum pingi voluerunt ſapientes, vt eius perennem inconſtantiam, & volubilitatem arguerent. Sed argumenta ego hic præteruolare nos, permittam omnia, vt illud vnum minimè prætercam. Iuridicundo Iuriſdictio, & poteſtas legitima legibus imponendis requiritur; in

ipſa

ipſa præſertim ciuitate cordium, quæ cum maximè libera ſit durè, atque ſeruiliter exercere ſeſe non patitur. At Amorem humanæ libertatis euerſorem flagellis & laqueis, catenis & telis, carceribus & compedibus dominari noſtris cordibus vel ipſæ fabulæ conqueruntur, & gemunt.

Sed fabulas doctas vſque adeò ſecuti ſtruimus odia in Amorem longe alium à noſtro, qui Deus eſt veritatis; neque enim inſanit aut furit improuidus, cum ſit halitus æterni conſilij, non à Patris potentia ſolum afflatus, ſed ab vnigeniti quoque ſapientia deriuatus; à quo etiam hodie mittitur inter ardentes eloquentiæ teſſeras, linguas ignitas, quibus verbum ipſum Patris ediſſerat humanis auribus, neque doceat ſolum ingenia veritatem, ſed perſuadeat etiam moribus honeſtatẽ. Aliarum enim legum opera ſit, imperare, non agere, monere plurimum, mouere nihil; verba facere, non vires addere; comminari pœnas corporibus, merita mentium non habere. Vnica lex gratiæ tota in agendo, ac tranſfigendo ſita cum ſit, non tam dirigere ſapientiam, quam virtutem erigere, acuere, ſtimulare, propellere, inflammare nouit, conciliatricula cordium flexanima, verticordia, Agenorea longe felicior, non Moſem aliquem lentum, & grauem Saturnum legiſlatorem habere potuit, ſed habilem,

ſed

ſed venuſtum, ſed ex promptum,& actuo-ſum, ſed armatum linguis & facibus Amorem Deum: etenim ad amplificandas ſubdolè ſeruitutis exactiones in miſeros callidum aliquem frigidi ſanguinis hominem aptum reperies; ad inſtituendam verò ingenuè pro patritijs animis libertatem vnum vix idoneum video dulce Numen ardoris, quo etiam recaleſcere debuerant corda mortalium concreta dudum gelu timoris ex lege Moſis aſpera, & rigente: quod ſi abroganda lex priſcæ ſeruitutis erat, & nouæ leges amicitiæ cum Deo ſanciendæ fuerant, quonam alio feriri hæc fædera fulmine poterant, quam Amoris. Lex amandi feruida eſt, rogarī debuit igne ſuaſore. Scio etiam compertum illud eſſe phyſicis experientibus homines ingenio hebetes, & obſcuros, animoque præfracto peruicaces conſtare corde conſtipato nodis obdureſcentibus, æneumque in modum velut armato fibris in barbariem. Huius generis fuere Populus Iſraeliticus duræ ceruicis, & Mineruæ pinguioris vitio notatus, ac notus; imo verò & Genus humanum vniuerſum, ex quo Adam deguſtato vetito cibo, veluti Circæo epoto poculo degenerauit nobiſcum in feras ventre pronum, ingenio obduruit cæleſtium rerum penitus ignarum; quis ergo ferream mollire duritiem, quis tarditatem animi, ſtuporemque mentis ſoluere poterat niſi benefica fax

Amo-

Amoris? Muta illa, ac bruta infantia mundi inter elementa Naturæ prima de Deo balbutiens erudiri non potuit ad diuinam eloquentiam, niſi per hæc linguarum è Cælo ſonantium ardentia monita, & præcepta. At præceptionibus tradendis, ac legibus idoneos nonniſi ſerios, auſteroſque ſenes adhibebat antiquitas. At hic cum ſeueritatis leges omnes eſſent ab vna lege clementiæ abrogandæ, vnus ille erat aptiſſimus, quo nullus eſſet blandior, ac benignior amandi Deus: abſumenda erat infinita illa multitudo Moſaicarum ſanctionum exilium; & minutarũ, ceu victima cordium puſillorum; Expectabatur igitur puriſſimus hic ignis è Cælo; abolenda lex Hebreorum erat, quæ, vt Paulus loquitur, iram operabatur, & maleuolentiam; Vnus ergo Amor præeſſe abrogationi debuit quo nullus eſt Cælo, terriſque beneuolentior, qui etiam præ ſe vibrantes ignes & flammas incitatas agit maximæ poteſtatis inſignia, cum & Imperatoribus inaugurandis tanquam ſupremæ ditionis argumentum præferretur olim ignis, quippe qui ſummum imperium obtinet in elementis, Rex enim uerò cordium vnus eſt Amor, qui non laqueis, compedibuſque mentes veluti mancipia vexat, ſed monilibus, armilliſque veſtitum veluti ſponſus condecorat; hoc præſertim tempore quo iura firmat connubialia mortalium cum immortalibus;

bus ; quæ etiam beneuolentiæ iura , quoniam non Vrbem, aut latium , non municipium aut prouinciam aliquam tenere debent , ſed vniuerſum Terræ , cælique Orbem , & Orbes , meritò linguis Amoris innumerabilibus promulgatur, & quia leges vitæ ſunt , in ipſo vitæ fonte, corde, inquam , medio iurè optimo infiguntur vt dum viuitur , huic legi pareatur , neque enim fas eſt corde viuere ; & non diligere , vt Auguſtinus aiebat . Igitur ab hac lege nullus exlex , in hac lingua nullus elinguis , omnes aguntur hoc ſpiritu ſi reſpirant , omnes hunc amorem intelligunt, ſi cor habent.

AD PERVSINOS ORATIONES DVÆ

Peruſinos Ciues plurimum facere, parum de ſe loqui, ac ſcribere conſueuiſſe.

ORATIO PRIMA.

SI, vt Peruſinorum Ciuium præſtantiſſima olim virtus in omnem recte faciendi laudem toto animo ſemper incubuit: ita etiam è ſuarum ętatum anguſtijs extracta, per magna ſcriptorum ingenia pari ad Poſteros felicitate perueniſſet; eorum gloria temporum omniū, nationumque memoria longe clarior foret, quam vt à me hodierno die quaſi non-

nonnihil obliterata ad contemplationis voluptatem, atque imitationis vſum proferenda eſſet in medium. Sed profectò ita natura comparatum eſt, vt qui plurimum faciunt, parum de ſe ipſi loquãtur. Peruſina virtus diues operum, Scriptorũ expers fuit; credo, quia Populi Romani veterem imitata virtutem, debuerit etiam nanciſci fortunam: vt, dum vtriuſque Populi prȩclara, quȩ nobis nota ſunt, facinora contemplamur, non magis eorum virtuti gratulari, quam conqueri de iniuria temporum; atque obliuionis inuidia debeamus. Atque illud ſane fuit cauſæ, Nobiliſſimi Peruſini, cur hoc mihi ſolum negotij dari voluerim in fauſtis hiſce literarum auſpicijs, vt oſtenderem Maiores veſtros ab ipſo Mundi renaſcentis exordio facere fortiter, quam luculenter dicere maluiſſe, eorumque prudentiſſimum quemque ita negotioſum maxime fuiſſe, vt alij quidem rerum gerendarum magnitudine oppreſſi, ſcribendi otio non affluerent, alij vero ſolutiores ab opere, dummodo recte factorum conſcientia per ſe laudabiles eſſent, de aliena laudatione non magnopere laborarent. Hanc ego difficillimam prouinciæ partem non eo ſuſcepi conſilio, vt eorum memoriam iam prope ſeneſcentem à ſilentio vindicarem, opus longe maioribus ingenijs reſeruandum: ſed partim vt auditores meos adoleſçentes tacite

ad-

admonerem, ne tantam auitæ laudis hæreditatem degeneri factorum imitatione profundant: partim etiam prouectiore, ætate palam hortarer, atque obſecrarem, vt quando Maiores veſtri tantam ſibi gloriæ materiam ſerere potuerunt, eam induſtria, ſtudioque collectam, in literarum monumentis conſeruent ad alendam in omni virtutum genere ſuorum familiam Poſterorum. Ac mihi quidem in ſummos illos veſtri generis homines, eorumque illuſtria facinora intuenti, ita magna occurrebant, atque ardua quocumque me animo, & cogitatione vertiſſem, vt non me temere facturum putarim, ſi eos cum præſtantiſſimis Antiquitatis Heroibus cōpararem. Vnus in primis magnus ille, ac ceterorum facile princeps Alexander magnitudini veſtræ par occurrebat: quantū enim manu præſtiterit teſtis eſt Aſia; atque Europa, quas naturæ diremptas finibus, clariſſimis victorijs terra, marique commiſit: quantū vero à laudationibus Rhetorum, ac Poetarum abhorreret, memini me legere, Poetæ cuiuſdam non ignobilis carmina, effuſa in eius laudes adulatione contaminata in fluuium ab Alexandro eſſe proiecta; quaſi ſtomacharetur in ea oratione captari verborum floſculos, in qua ſolidus rerum fructus tam magnificè de ſua gloria peroraret. Cum igitur Alexandrum tanto locorum, ac temporū interuallo diſſitum, ſocium vobis & con-

ſor-

ſortem immortalitatis, operum æmulatione feceritis, ſatis, opinor, & veſtræ gloriæ, & meo muneri faciam, ſi oſtendero, quæ in Alexandro excelluerunt maxime, Peruſinum populum diligentiſſime eſſe perſequutum. In quo ne videar alienis auribus inſeruire, ita ſumma rerum geſtarum capita perſtringam, vt ſuppreſſis Authorum nominibus, neque in ordine recenſendi ambitio, neque in reticentia iniuria vlla ſubrepat.

Tria igitur fuere potiſſimum in Alexandro, vt Romani generis eloquentiſſimus animaduertit Orator, quibus domeſticæ ſuæ laudis, ac bellicæ numeros omnes expleuit, iudicium in deliberando, in præliando robur, in benemerendo de alijs beneficentia: quorum primum prudentiæ, fortitudinis alterum, tertium liberalitatis munus ad comprimendam fortunæ libidinem accomodatum, ad propagandum nomen immortalitatis amplum, ad concitanda ſibi ſtudia beneuolentiæ popularis acerrimum fuit. Hæc ego tria in Peruſino populo ad inuidiam pæne ceterarum Nationum fuiſſe contendam, omnemque auitam veſtrorum decorum gloriam in tam diuerſa genera laudum diſtractam, atque diſperſam præclariſſimis facinoribus, in vnum hunc Gratiarum numerum colligam, exponamque breuiſſimè, quæ domi prouiſa ſapienter, quæ in bello fortiter geſta,

quæ vbique liberaliter data fuerint, nulla tamen aſſequendi ſpe, nullo ſtudio obſequendi. Vt igitur à prudentia ordiamur, nimis alto vtendum mihi principio foret, ſi ad veteres illos veſtros Aborigines Romanis initijs antiquiores mea referenda eſſet oratio: cum ex altero hominum parente Iano, quem eumdem Noheum ſacra volumina nominant, tamquam è comuni Nationum omnium fonte tria familiarum facta fuere diuortia, filiuſque Iaphet in has regiones non ſine aliquo numinis afflatu compulſus cũ ſuis, arduum hunc maxime ex omnibus montem delegit, è cuius celſitudine tamquam è comuni ſpecula futura Ciuitas totius Vmbriæ, atque Hetruriæ ſaluti proſpiceret. Sed fuerit iſta non hominum, qui ex tam longo interuallo prouidere futura non poſſunt: ſed diuini potius cuiuſdam impulſus arcana prouidentia, quæ in hoc ſuauiſſimo Cælo à boreali aſpiratione per Alpes defenſo, & à mari Siculo Solis ſubinde miteſcente ſæuitia temperato, in edito montis ſupercilio tamquam regali in ſolio, ſubſtratis vndique ſubſidentium collium quaſi periſtromatis, Tyberique fluctibus applaudente, Ciuitatem Regnatricem Vmbriæ collocauit, quam quia propugnaculum, & auſpicata felicitas regionis huius futura erat, Turrenam Auguſtalem primo nomine appellarunt. Hac eadem ſuauiſſima pruden-

tiæ

tiæ diuinitus inſitæ neceſſitate propemodum compulſi Grifonij, veſtri generis parentes alteri, eodem loco domicilia poſuerunt, ſuamque Peruſiam Turrenæ Auguſtali proximam adiunxerunt, donec Tarcontis Regis humanitas duo illa munimenta mænibus circumſepta coniunxit, & vtriuſque Oppidi nomen partitus ex æquo, vniuerſam Ciuitatem Auguſtam Peruſiam nuncupauit. Hæc quoniam regno nata ad imperandum ipſa indole ferebatur, vniuerſam Vmbriam in duodecim colonias iam diuiſerat: in cuius adminiſtratione prouinciæ quid geſtum fuerit antiquiſſima tempeſtate, fortunæ ac temporum obliterauit inuidia: ſed ex ijs, quæ poſtea ſumma cum prudentia confecta eſſe meminimus, facere poſſumus coniecturam, quam antea, ac ſemper perfectum habuerit in eligendo iudiciũ: cum enim vera primum Religio extorris è Patria in remotas Mundi partes peregrinari cæpit, hoſpitem illam, ac profugam excepit Peruſia, exceptamque humaniſſimè ſemper habuit: ac celeſti exinde lauacro expiatus hic Populus ſubiectos etiam ſibi populos ad Chriſti noua ſtipendia ſollicitatos, authoramento militiæ cæleſtis obſtrinxit. In quo ſane religioſiſſimo recentis gloriæ tyrocinio Peruſina virtus prudentiſſimæ fortitudinis ſpecimen præ ſe tulit: cum enim eo potiſſimum tempore non iam eminus ve-

caretur in Chriſtianos Imperatorum veſana crudelitas, ſed propius, ac pede collato in omnem pietatem armata carnificum acie impetum faceret: nihilo tamen ſecius per media tela, flammaſque Peruſini ciues æſtu quodam diuinitus iniectæ mentis abrepti, ad interitum vltro corruebant, alijque alijs gratulabundi mortem libentibus animis inuadebant inter hoſtes attonitos, atque perculſos tam inſolitę cupiditatis miraculo. Hic ego Cæſares, aut Alexandros ne nominarim quidem, vnam parem inuenio fortiſſimam Thebæorum procerum legionem, qui ſtipendijs mortalitatis expuncti, ad mercedis æternæ pretium per obiectos hoſtium gladios iter ſibi ſtrage ſuorum corporum conſtrauerunt. Sed ex hoc non minus forti inceepto, quam prudenti conſilio, quaſi ex ipſo virtutum ortu mirabilis deinde progreſſio in hac vrbe, incredibiliſque curſus ad omnem Chriſtianæ laudis excellentiam factus eſt, è priſco enim illo Parentum veſtrorum in veram Religionem deuotiſſimo obſequio tamquam è iacto bonorum omnium ſemine, Chriſtiana deinde Pietas altiſſimas in hoc Populo radices egit, ſtirpibuſque corroboratis fructus vberrimos numquam effæta fæcunditate produxit. Etenim, vt ij tractus terrarum, qui ad orientem Solem vergentes primam diurni luminis illuſtrationem accipiunt, felices præpingui,

gũibus glebis, fruges varias, metalla, atque odoramenta ad mortalium delicias, atque vſum effundunt: ita quod hęc Ciuitas in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio prima diuinæ lucis crepuſcula feſtinanter exceperit, perpetuo deinceps floruit incredibili vbertate ciuium ſanctiſſimorum. Hinc veteres illi omnis memoriæ, primi nominis, Antiſtites prodiere, Conſtantij Barzij, Herculani primi, ac ſecundi, hinc Petri Abbates, ac Beuegnates Monaci, quorum virtus eximia, Cælo nata, Cælo reddita auctoritate Pontificum fuit, decreta celebritate ſacrorum. Hinc priſcæ laudis æmuli, operumque conſortes Epiſcopi, Maximiani, Rogerij, Gennarij, Honeſti, Conones, Ridolphi, hinc ex omnibus religioſorum virorum familijs, primarũ partium viri quamplurimi, quorum integerrimam vitæ ſanctimoniam viuam in moribus ſuſpexit antiquitas, & rediuiuã in literis, ſi vos veſtra laudari pateremini, omnis poſteritas admiraretur. Sed liceat admirari mihi ſaltem hoc loco Prudentiæ veſtræ fortunam, quòd in hanc Vrbem, tamquam in ipſam Prudentiæ ſedem, ac domicilium, poſthabito iuſtis de cauſis Vaticano Comitio de rebus grauiſſimis purpurati Chriſtianæ Reipublicæ ſenatores deliberaturi conceſſerunt, nec ſine Epiſcopi Peruſini interdum ſuffragio, ſacroſanctum Cœli, terrarumque princi-

patum Pelagio primo, Honorio tertio, Cæleſtino ſecundo, Honorio quarto, Benedicto vndecimo viris eo munere dignisſimis detulerunt. Vt mirum non ſit, ſanctisſimos olim Pontifices, qualis Gregorius magnus fuit, Peruſino Populo eligendi ſui Epiſcopi liberam toties permiſiſſe poteſtatem: qui enim per ſuos Epiſcopos concedendis aliqua ex parte vniuerſi Imperij faſcibus aſſueuerant, ad creandos domeſticos Magiſtratus alieno ſuffragio non egebant. Sed huic rerum diuinarum prudentisſimæ adminiſtrationi congruens omnino rerum humanarum gubernatio fuit. Nam ſi Platoni Philoſophorum Principi credimus, illa bene conſtitutæ Reipublicæ forma cenſenda eſt, quæ inſtar humanæ mentis in corporibus ſit; in quibus optima pars hominis ratio, quam veluti Imperatricem, ac Dominam in ſuprema capitis arce natura conſtituit, auxiliaribus iracundiæ copijs è tabernaculo cordis aduocatis, clandeſtinos, & apertos rebellantis cupiditatis impetus moderatur, ac reprimit. Eadem prorſus ratione Peruſina Reſpublica adminiſtrabatur antiquitus, cum in ea ſenilis ætas conſilio, prudentiaque præcellens, corroborata virtute iuuenum optimatium, qui ſunt Reipublicæ nerui, ipſæque ceruices, furores plebis inconditos, & repentinis conſilijs incitatam audaciam, iniecto fræno ſanctisſimarum

legum

legum cohibebat. Quod ſi in tam pacatæ ſapientiſſimæ adminiſtrationis tranquillitate, inteſtinæ interdum diſſentionis atrocior procella deſæuijt: culpa vobis fuit cum omni libera ciuitate communis, ne dicam cum hac rerum vniuerſitate, quæ ciuili ſuarum partium ſeditione coaleſcit, atque alitur, ſed cum Romana potiſſimum, cui in tam ſplendido vitio comparari, glorioſum alicui videri poſſit. propterea enim difficillima ſeruandæ libertatis moderatio ſemper fuit, quia dũ vnaquæque partium æquatura alteri ſemet extollit, reliquas poene iam deprimit, ſic vt ne metuat, ſe quiſque metuendum efficit, dumque paratus excubat ad repellendam, eamdem alteri infert iniuriam. Hinc illi Peruſinarum factionum æſtus reciproci, cum modo ſeruitutis impatiens multitudo, non in tenebris per coetus occultos; ſed armata palam ſumma gladiorum licentia volitaret, modo generis ſui ſpiritu præferox, & inuadendi Regni cupiditate ſuccenſa nobilitas, per potentiores Magiſtratus luxurians, Cinnæ potentiam, Syllæ crudelitatem, Cæſaris imperium affectaret. Iamque tam late ipſa contagione facinoris ſerpebat malum, vt non Illuſtriſſimi ſolum Romanæ Curiæ proceres, ſed ipſi ſummi Pontifices ad ea, quæ apud vos ciuili contentione diſſenſerant, pacanda proceſſerint, qui tamdiu ſumma cum

beneuolentiæ ſignificatione hic eſſe voluerunt, quamdiu reddita ciuibus tranquillitate, flammæ illæ domeſticæ reſiderent: quaſi vero ſeditiones veſtræ felices, ſi fas eſt dicere, fuiſſe videantur, ad quas componendas tanti arbitri diuinitus mitterentur. Sed hoc diſcordiæ crimen quam acciderit vel neceſſitatis, vel humani ingenij vitio, quod in certamine libertatis ſemper inquies, & indomitum agitur, ſatis illud oſtendit, quod finitimæ regiones inuicem diſcrepantes, controuerſias ſuas Populi Peruſini arbitrio ſæpiſſime commiſerunt. Quoties enim Spoletinos cum ſuo Principe in gratiam, concordiamque reduxiſtis, quoties Tudertes, & Iſpellanos, Fulginates, & Fabrianenſes, Nucerienſes, & Montefalconios, Narnienſes, & Aretinos, Aſſiſinates, & Bettonienſes, alioſque Vmbrię populos, atque Hetrurię, inter ſe modo iure, modo bello diſceptantes, quanta maxime lenitate, & diligentia ad firmam pacem, & ſtabile fędus allectos, ſanata ſimultate, reconciliata gratia, purgata ſuſpicione ex infenſis amiciſſimos reddidiſtis, eoſque ipſos, quos contra ſtatuebatis, ita ęquos, pacatoſque dimiſiſtis, vt cum gratię cauſa nihil faceretis, omnia tamen euenerint gratiſſima, quę feciſtis. Sed hęc fuerint ſane magna Peruſinę Prudentię documenta, bella reſtinguere, extorquere arma de manibus

bus ciuium iratorum, omnem diſcordiarum memoriam ſempiterna obliuione delere: quid erit non Iudices litium, ſed Pręțores Vrbium, non arbitros controuerſiarum, ſed Principes populorũ, non Cuſtodes iuris, ſed legiſlatores conſtitui? Prudentiſſimum profecto fuit Populi Romani conſilium, cum lectiſſimos viros è Patribus, ad inclytas leges Solonis deſcribendas, aliarumque Ciuitatum inſtituta, moreſque noſcendos, Athenas, atque in vniuerſam Gręciam deſtinarunt. Sed quid ad Prudentię gloriam magnificentius eſſe poteſt, quam non aliunde iuſſa Sapientum, legumque ſanctiones emendicare, ſed alijs è ſuo cenſu depromere, non ad condenda ſibi iura peregrinari longius, ſed ad pręſcribendas exteris Nationibus leges ampliſsimis pręmijs inuitari; eaſque non inſcribere in ęneis tabulis, aut in Capitolio figere, ſed incidere in promptiſſimis animis, & in magna omnium alacritate, obſequendique ſtudio promulgare. Vos ego, vos appello florentiſſimi Italię Populi Fulginates, Tudertes, Typhernates, Viterbienſes, Florentini, Senenſes, Piſani, Taruiſienſes, Patauini, Veronenſes, Mediolanenſes, alijque quamplurimi, qui Peruſinę Sapientię fama permoti, moderatores veſtrarum Vrbium ex hac Vrbe petijſtis. Etenim, vt olim ex ordine Equeſtri, Senatorum ſeminario, viros optimates, &

primarum artium ad tractanda Reipublicæ gubernacula Romanus Populus transferebat: ſic omnium ferme ordinum Ciuitates, è populo Peruſino, communi Magiſtratuum fonte, Prætores ſibi, morumque Magiſtros, àc Principes accerſebant. Verum ego de ciuili veſtra Prudentia diſſerens, vereor ne nimia prolixitate Oratoriæ Prudentiæ fines exceſſerim. Venio igitur ad fortitudinem, laudem alteram huius Populi cum Alexandro Principe comparati: quæ ſane, quia duabus partibus conſtantia, ac magnanimitate definitur, latiſſimum mihi campũ ad dicendum aperit, & in quo, tamquã in veſtro regno, liberis, vt ita dicam, quadrigis inuehatur oratio. Sed à conſtantia incipienti mihi quidam paulo durior exitus veſtræ fortitudinis obuerſatur animo, cum nimirum in notiſſima illa obſidione poſt diuturnam patientiam, ceſſiſtis in poteſtatem Auguſti: quem ego ſane doloris ſenſum minime hoc tempore refricandum putarem, niſi iniuſtam neſcio quam gloriæ veſtræ labeculam delere me poſſe confiderem. Cùm enim ſiue iuuenilis audaciæ inconſulta temeritas, ſiue potius Fuluiæ fratriæ ſuper Aegyptiis amoribus male de coniuge ſentientis furor, Lucium Antonium inflammauit, vt cum Auguſto Principe dimicans, Marcum fratrem in Italiam reuocaret: cumque ipſe alieno loco, atque impari vir-

virtute congreſſus, cladem vltimam accepiſſet, ad hanc Vrbem, ad ipſam ſcilicet aram ſalutis, afflictis ad terram faſcibus, Conſul Romanus acceſſit: ibique fortiſſima Peruſinorum conſilia ſequutus, annum prope ipſum inuictiſſimo obſidionem animo ſuſtinuit. At cum circumuentis hoſtili opere mænibus, & locus fugæ deeſſet, nec animi ſatis ad pugnandum foret, intuſque fames acrius, quam foris bellum vrgeret, tutiora conſilia præ honeſtis tulit, ipſaque Ciuitas domeſticis, & externis debilitata cladibus, Victori ſuccubuit conuentione deditionis. Video deditionis nomen veſtris auribus peracerbum eſſe, agnoſco indolē, agnoſco ſpiritum Cæli huius. Sed non fuit, mihi credite, non fuit veſtra illa deditio: Extrema fortiter pati, ad vltimũ pro Patria mori, Peruſinum eſt. Neglectum vobis corpus præ gloria, vile vitæ pretium præ libertate, leue mortis detrimentum præ æternitate nominis ſemper fuit. Romanus Conſul, Romana magnanimitas trepidauit, quia cum Romano Principe, cum Romana virtute certabat. Quod ſi etiam ab hac Vrbe neceſſitas extremum conſilium deditionis extorſit, nullam tamen dedecoris notam, nullam turpitudinis labem adquiſit: cum cadente Romano exercitu hæc ipſa ædificiorum moles nouo quodam quaſi ſpiritu fortitudinis animata, per Cæſtij ſui ciuis incen-

 dium,

runt. Atque vt antea Annibalis impetum deuaſtantis Italiam geminato ad Caſilinum certamine ſuſtinuerunt, ſic deinde Totilæ cum barbarorum incompoſita manu ferocientis inſaniam, & crudelitatem fortiſſimo animo tolerarunt. Iam vero Longobardorum vires totiespatiẽdo retuſæ, Gibellinorum factiones irruentes perſæpe repulſæ, Friderici Imperatoris eluſi conatus, Henrici illius nefarij Prædonis incurſus, Matilda ſuadente pro Florentinis compreſſi, pro Romano Pontifice Clemente partes fortiter, feliciterque ſuſceptæ aduerſus Columnenſes, Blancorum, & Nigrorum rabies inteſtina coercita, Italiæ fauces barbaris obiectu veſtrorum corporum interclusæ, Turcarum temeritas toties tolerando refracta, aliaque infinita militaris conſtantiæ documenta, pompa ludicra laudum ſunt, præ vt veſtra magnanimitas in aggrediendo quæ dedit. Quid enim ego illa commemoro! finitimorum populorum exercitus toties fugatos, ac fuſos, legiones integras nullo prorſus euadente contrucidatas, munitiſſimas arces modo repentinis aggreſſionibus receptas, modo diuturnis obſidionibus expugnatas, tot, tantaſque de exteris hoſtibus terreſtres, naualeſque Victorias? cum Roma vrbium Domina, rerum illud columen, & commune patrocinium Nationum pene fuerit dexteræ Peruſinæ

trophæum, ſi Roma capi, hoc eſt, ſi Victoria vinci, ſi libertas ſeruire potuiſſet. Video me in vaſtiorem altitudinem, ac veluti profundum veſtrarum laudum inuectum, vnius horulæ fauente aura breuiſſima tanto è pelago enauigare non poſſe. Quamobrem prætermiſſis cæteris ad eximium quoddam facinus feſtinat oratio, quod quia inuſitatæ felicitatis euētu, miraculi locum occupat, teneri memoria decet, ſilentio nefas eſt. E paruis admodum initijs, vt fit, graue certamen, vobis coortum eſt cum præcipuo ex finitimis Populo, qui etiam num floret opibus, fama clarus, pollenſque; ſed, vt nihil certi eſt in rebus humanis, inſtabilem eo tempore fortunam expertus. Cum iure diutius agitata lis eſſet, magnæ ex vtriuſque populi ſtudio contentiones erant, vt neque bellum gerere, neque pacem habere poſſent. Sed vbi Populus Peruſinus circumueniri ſe credidit? comparato exercitu ſubitario, obuius procedit iniuriæ, illi veſtræ fortitudinis non ignari, per viros è Romana nobilitate præcipuos accurate tranſigunt, vt pax condicionibus gratioſis, ac mollibus firmaretur. Sed iam educta acie per Tyberina campeſtria, iuuentus Peruſina depopulabunda diſcurrit, ager hoſtilis vritur, præda hominum, pecorumque agitur, ad obſidionem vrbis venitur. Sed non neceſſe habuiſtis, ſtire murum arcete, non tentare Popu-
larium

larium fidem, vt ſe dederent: ſtetit à vobis celebrati nominis fama, Victoriamque aſpectu vno confecit, cum tamē pro hoſtibus deſperatio dimicaret, longe maximum ad fortiter moriendum incitamentum. illi enim, vbi malam vbique rem, ſpem multo aſperiorem vident, nouū genus legationis commenti, ad caſtra Peruſinorum mittunt in hunc ordinem. Duo è clariſſimo genere nobilitatis viri, candidis obtecti veſtibus, egreſſi cum magna complorantium turba è munimentis, demiſſo capite, inceſſuque trepido cunctabundi, ad Prætoris veſtri pedes ſuppliciter abijciuntnr, pacem orantes; mox acceptam à miniſtris ingentem pateram, in qua duo educti gladij coruſcabant, Prætori offerunt, ita tamen, vt omnis ferri acies in ipſos legatos obuerteretur. Cuius rei nouitate perculſis, atque admirabundis Peruſinis adiecerunt ij, afferre ſe ſupplicij ſui miniſterium, quando piaculi materiam præbuiſſent, ſæuiret in noxios pro arbitratu ſuo iracundia Peruſina. deinde vero, vt ſtabiliretur certiſſima fides, inter alia ſuæ demiſſionis argumenta, in publicis tabulis hæc ipſa verba notari voluerunt, veniſſe ſe ad pacem petendam, & veniam impetrandam à Populo Peruſino, quem ſecundum Deum colerent, & honorarent. Quænam, Deus immortalis, hæc Virtus, quam non ſequitur, non comi-

tatur?

tatur, ſed antecedit Victoria? quæ fortitudinis indoles, quam hoſtes etiam formidantes amant? O nouum, & poſt hominum memoriam inauditum præliandi genus, vbi hoſtis armatur precibus, velitatur obſequio, deditione decertat, in cædibus candicat, muneratur in rapinis, in hoſtium caſtris perfugium quærit, ab interfectoribus ſalutem expectat, inter odia diligens, inter iniurias honorans, inter prorogandæ vitę preces, mortis ſuę miniſteria deferens. Sed quid ego iam nitor extollere, quod amplificandi ſpem omnem ſua magnitudine ſuſtulit: nolo tam tenui oratione obſcurare prę clariſſimum facinus, quod vos ſuperaddita etiam beneficentia illuſtrius reddidiſtis. Etenim commiſeratione permota Peruſina nobilitas, omni continuo ferocia poſita, inimicum Populum, non in ditionem, ſed in clientelam, ac familiaritatem accepit: ſic quos illata vobis iniuria hoſtes effecerat, amicos reddidit veſtra in alios profuſa benignitas, & quos ferro, flammaque delere poteratis, recreare beneficijs maluiſtis. ſcitis, & armis, & officio cogere, fortitudine vincere, ac beneficentia triumphare. O latiſſima fortitudinis Peruſinę curricula, ò rediuiua Romanę manſuetudinis ſęcula. Atque hoc mihi in poſtrema orationis parte demonſtrandum ſupererat, veſtram ſapientiam, ac fortitudinem, cum Alexan-

xandri magni beneficentia, atque humanitate fuiſſe coniunctam. Quę eo profectò admirabilior videri debet in vobis, quòd non pecunię ſolum, ſed officij, ſed ſanguinis liberaliſſima ſemper fuit. prętermittendæ enim mihi ſunt hoc loco, infinitę illæ pecuniarum erogationes, quas in pietatis vſus, ac monumenta pnblica expendiſtis, vt Cælitum, Numiniſque religio publicis ſacrorum ceremonijs in auguſtiſſimis templis dignè coleretur, collapſa ſuperum religioſiſſima in terris domicilia reficerentur, ſubueniretur miſerorum calamitatibus, ſuſtentarentur Religioſorum hominum tot, tantæque familiæ, fundarentur Xenodochia, ſtudioſorum Iuuenum lycæa, atque Academiæ inſtituerentur, annonæ charitas ſæpenumero laxaretur, viæ publicæ veteri, nouoque rudere ſternerentur, deduceretur in forum magna olim vis aquarum ex altiſſimis Montium iugis, lapſu difficillimo, per incilia confragoſa, ad publicas delicias manſueti Leones, & Pardi cicures alerentur, Lacus ipſe Traſymenus exundans latius, vi raptus ſub terras, & coactis in concameratum alueum vndis, (opus plane Imperatorium) per interiora montium ſæpiſſime à chaſmate repurgata corriuatus, confinium agrorum vbertate exciperetur. Prætermittenda mihi ſunt, fundata hæc publicum in commodum Sapientiæ domicilia, & cortinæ Veritatis

tis, in quibus tanta doctiſſimorum hominum copia redundauit, vt cæteræ Italiæ Academiæ veſtris ſapientiſſimis viris referta, Peruſinarum Athenarum coloniæ fuiſſe videantur. prætermittendi Tarentini in ſumma Annonæ difficultate, ſuppeditato per Caium Seruilium ex hac Vrbe frumento leuati: prætermittendi Romani, quibus ſi horreum Sicilia præſtitit, penum profectò Peruſia ſubminiſtrat. Vos enim nullo in loco ponitis huiuſmodi beneficia, & quantaſcumque pecuniæ ſordes altitudine mentis deſpicitis, vna auaritia gloriæ laborantes. Nihil à vobis illa liberalitas æſtimatur, in qua non etiam ſumma beneuolentiæ, atque officiorum largitas erogetur. Hinc honeſtiſſima à vobis toties ſuſcepta certamina, in quibus cum finitimis populis, non armis, ſed officijs pugnauiſtis, cum Senenſes, Tiphernates, Cortonenſes, alioſque populos non modo fœdere, conhubio, cognationibus, ſed ipſa etiam ciuitate donaſtis, cum ceteris ſocietate, amicitia, pactione faciliime coaluiſtis, cum Sueuos Dynaſtas, Germanos Duces, Reges Neapolitanos, Italiæ Principes, Romanos Imperatores, Mundi Pontifices apparatu digniſſimo in veſtram Vrbem recepiſtis, eiſque interdum ludos more Romano, & ſpectacula celeberrima, ſine vlla tamen crudelitate, exhibuiſtis. Sed neque hæc magnifiunt à vobis; illam

vnam colitis beneficentiam, quæ in prodiga ſanguinis liberalitate conſiſtit. Hac Piſas, Senas, Aretium, aliaſque proximas Ciuitates Latrocinij Ghibellini materiem, libertati reddere contendiſtis, hac Venetis Ducibus, Regibus Neapolitanis, Mediolanenſibus Dynaſtis exercitus ampliſſimos comparaſtis. Vtinam hoc loco nec me eloquentia, nec eloquētiam inſidioſa decurſio præteruolantis horæ deficeret. Vt ego non reticerem innumerabiles illas peditum acies, equitumque turmas Romanis Pontificibus, auxiliaribus in armis oblatas, aduerſus Imperatorum degeneres à Conſtantini liberalitate rapinas! cum illa robora Populi Peruſini, fortiſſimi illi Decij, ac Bruti Chriſtianæ libertatis, capite pro comuni ſalute deuoto, vitam annorum numero breuem, gloriæ ſpatio infinitam, donare millies publicis commodis, quam ſemel reſeruare Naturæ maluerunt. Vt ille Maiorum veſtrorum ſanguis, ad Smyrnas, Miletum, Melitam, Famaguſtam tam prodige profuſus olim, nunc eloquentiæ ſpiritu reuiuiſceret, incorruptis florens laudibus Oratoris. Neque vetera ſectari neceſſe haberem, cum antiquitati ſuæ Peruſina Poſteritas concolor ſemper fuerit, & inchoatæ Parentum gloriæ, tamquam pulcherrimo illi Veneris capiti, ab Apelle deſcripto, cetera membra non informia, ac rudia, ſed

co-

eodem plane colorata ductu virtutum, ſemper ex æquo reſponderint. Quid enim ſibi vult etiam num bellica illa Peruſinorũ animorum inflammatio, vbi primum ad habendos militum delectus claſſicum intonat! Videas repente nobiliſſimos quoſque adoleſcentium, tæda gloriæ vehementiore ſuccenſos, atque in altum è conſpectu noſtratis virtutis abſtractos, noctes inſomnes, dies inquietos exigere, feſtinare, parare, neque raptim præcipitare conſilia, ſed oblatam æternitatis materiam accurata mentis conſultatione concoquere: mox vbi conſultum ſatis, & mature facto opus eſt, tum vero videas obfirmato prorſus animo è Patriæ dulciſſimo amplexu, è recentibus Sponſarum thalamis, è caris liberorum pignoribus, ex infectis negotiationibus diuelli, nec vi reprimi, nec lacrymis teneri poſſe: ſed rem ipſam familiarem collocatam in ſolo, ac fundo, ad cogendam in ſubitos vſus pecuniam tumultuaria venditione deperdere, quò facilius & glorioſius poſſint, omni mortalium rerum cura ſepoſita pro publica ſalute capita Immortalitati conſecrare. O vehementes magnanimi furoris afflatus, ò vim gloriæ præpotentem, ad cuius haſtam, tam facile venalem habent ſanguinem Peruſini. Conciliauerint ſibi plebis imperitæ gratiam Optimates Romani liberaliter, prudenterque obeundis officijs, lenierint multi-

tudi-

tudinis mercenarios animos largitioni-bus, congiarijs, epulis Imperatores: Veſtra beneficia non ambitio vendidit, non luxus proiecit, ſed beneuolentiæ ſtudium plena manu congeſſit, ſed ardor gloriæ perfectiſſime cumulauit, qui non lenocinio voluptatis, ſed honeſti maieſtatè, non muliebri verborum illecebra, ſed conſtantiſſima vi recte factorum, non erogatione pecuniarum, ſed vitæ ſumptibus, & ſanguinis impenſis, gratiam ſibi Principum, Regum, Imperatorum, Pontificum impetrauit. Impetrauit autem! imo vero rapuit, auellit, extorſit. Quis enim in hoſtili prælio tam validus aries, quam in ſociali concordia excuſſum beneficiorum tormentum! multo leuius eſt incendium quod in hoſtilibus animis ira ſuccendit, & iniuriarum impetus agitat, quam quod in beneuolis pectoribus amor exuſcitat, & aura beneficiorum euentilat. Bellicoſiſſimas quidē Nationes, genere varias, numero infinitas veſtra fortitudine, terra, marique domuiſtis, veſtram Vrbem non tam opibus ditaſtis, quam glorijs, non tam mœnibus armaſtis, quam trophæis. Magna ſunt ea, quis neget! ſed nihil fuit in veſtra virtute glorioſius, quam quod recreabatis beneficentia, quos fortitudine afflixeratis, in deponendis offenſionibus iuxta mites, atque in accipiendis feroces. Cur enim tot Italiæ populi, tam facile,

ac tam ſæpe in veſtram amicitiam, clientelam, poteſtatem tradiderunt ſeſe, niſi quod maiorem, quam in ſe victis, experirentur in Victoribus humanitatem? nec pudebat veſtræ illos Victoriæ, nec pœnitebat. Plurima mihi hoc loco eſſent, & è meliore nota promenda, etſi iam pro mea tenuitate ſatis, pro rerum dignitate, nihil, pro veſtra voluntate, nimium, dixiſſe videor: ſed ea recenſere ſuperſedeo, quia vereor ne vobis etiam fuerint ingrata, quæ dixi. Quid enim? Deus immortalis, num ſi veſtrorum Maiorum gloriam cordi haberetis, permiſiſſetis vmquam eam, tam fœde intermortuam in obliuionis tenebris deliteſcere! quid nunc probem, parum vos de vobis loqui, ac ſcribere conſueuiſſe, cum nullum non modo monumentum, ſed ne veſtigium quidem facinorum tantorum appareat. Nihil illi non aggreſſi ſunt, dignitatis veſtræ conſtituendæ gratia; vos ita noui nihil parabitis, vt parta etiam amiſſuri ſitis è manibus? ſatis magnifice deſcripta dudum eſt primis lineamentis Peruſini nominis gloria, afferte vos vltimum colorem, ac lucem. Quid enim profuit tam ſolida iacere fundamenta virtutum, ſi nullum gloriæ faſtigium erigendũ erat in famam? Admiratione, credo, eorum virtutis ſtupidi, languore, inertiaque torpeſcitis. at in victorijs, etiam ignauis gloriari licet. pro præda ſatis ab illis

pu-

pugnatnm eſt, plauſus gloriarum, & feſta carmina veſtra ſunt. Fabula iam pœne peracta eſt, quid in extremo actu corruitis? Ego ſane, Patria diſiunctus, & educatione externus, ſed obſeruantia quidē proximus, & comunicatione Ciuitatis fortaſſe non alienus, cum in palmaria veſtrorum Parentum facinora intuerer, angebar animo ſuccenſus iuſtiſſima flāma doloris, atque iracundiæ, tantam decorum honeſtatem, rerum genere, famæ gloria olim potentiſſimam, nunc per ſuorum Poſterorum incuriam, temporum deformatam ærumnis, iacere inopem, & extorrem, iamque deſperata à ſuis ſalute, alienas opes expectare. Quis enim carcer tam ſentus, quæ ſentina tam ſquallida, quis in pelago ſcopulus tā confragoſus, quam vbi maiorum veſtrorum gloria confecta ſitu, ac ſenio contabeſcit? Quantum mihi laboris per annum ipſum, exantlandum fuit, vt pauciſſima hæc, & minima rerum veſtrarum capita, tamquam è comuni naufragio colliſas tabulas, diſperſaſque colligerem? Quot mihi volumina ſcriptorum externorum, (nam veſtra quis nouit!) per uoluenda diu, noctuque fuerunt! in Aduerſarijs, & chirographis lacunoſis, & ſaucijs, in commentariolis ſcatentibus mendorum colluuione teterrima, laborem multum, induſtriamque conſumpſi, vt hæc exigua non magnifice dicerem,

ſed

ſed tantum vere proferrem. At vos tantarum laudum domeſtici, atque affines, imo vero hæredes, ac liberi, earum horribilem, miſerumque caſum deſpicitis, ſæuitiæ temporum, ruinarum veſtrarum, funeris Patriæ ſpectatores. Quod tantum fuit in veſtris Patribus vnquam ſcelus, aut quid tantopere benefaciendo deliquerunt, vt eos indignos luce, indignos veſtro conſpectu putaretis? quod ſi iudicare ſapienter, decertare fortiter, benefacere omnibus ſceleſtum eſt; at pœnarum pertulerunt ſatis. Squallidi, atque obſiti in obliuionis tenebris, in ſqualore vetuſtatis, iam diu vitam ingloriam exigunt: ſi tamen ea vita dicenda eſt, quam non modo naturæ communis mortalitas ſuſtulit, ſed immortalis famæ ſpiritus ita defecit, vt in tam exangui pallore gloriæ, qui fuerint ſummi illi Heroes internoſci non poſſit. Quæ tam ſæua lex eſt impoſita, atque iniuſta veſtri generis hominibus, Peruſini, vt de vita per virtutem acta, atque per dedecus proiecta æque apud Poſteros ſileatur? nihilque æterni poſt mortem habeatis in terris, quò à belluis ſecernamini! Memini Athenienſes olim grauiter, iuſtèque conqueri apud Romanos ſolere, quod Macedonum Rex Philippus, depopulata infeſtis excurſionibus Attica, ipſa etiam ſepulcra mortuorum inuaderet, & funeſtis circumlatis ignibus, ſemiuſta paſſim, & truncata

ta Græcorum Illuſtrium ſimulacra relinqueret. At vos parentibus veſtris immortalia illa ſepulcra, quibus non oſſa cadauerum, ſed animorum reliquiæ, cineresque tegerentur deleri permiſiſtis. Quod ſi tam hoſtili animo ſæuire licet in mortuos, libebit ne vobismet ipſis officere! Ite nunc, optimi ciues, externas Academias ſplendore veſtri nominis illuſtrate, veſtræ laudes domeſticæ iacent in ſordibus. Ad manum gloria poſita eſt, quid illam circuitu quæritis! Quænam hæc, tam præpoſtera benefaciendi voluntas, in alienis periculis deuouere capita, in ſua pernicie ne commoueri quidem! An qui exteras Nationes in tam trepido belli negotio, tam ſæpe ab interitu vindicaſtis, veſtras domeſticas hiſtorias in tam placido literarum otio ſemel ab obliuione liberare non poteſtis! Dextera aſſueta gladium ſtringere, ſtylū capere trepidat! manus, quæ pugnas in acie edidit, deſcribere in papyro non audet! virtus tam prodiga ſanguinis, atramenti tam parca? O miſeram tot Victoriarum, tot triumphorum cladem! ô naufragam in ipſo portu felicitatem! Sed ego vereor vehementer, ne priuati commodi ſtudio in publicæ rei emolumenta peccemus; dum domeſticæ ſtimulationi cuiuſque, Patriæ decus vileſcit. Eſt hoc fere ſemper magnis ingenijs vitium, ita propriæ ſeruire gloriæ, vt ijs publico

bono ſtudere non vacet. ſed hic publicis ornamentis etiam decora domeſticæ famæ iunguntur, nec deterrere tanti operis labor debet, qui ſcribendi exercitatione mitigatur. Peruſinorum Heroum facinora varietate rerum alliciunt, nouitate rapiunt, amœnitate delectant, magnificentia detinent, miraculo paſcunt. Eloquentiſſima Græcorum natio, ſi tam amplam, tam Rhetorum ſtudijs accomodatam materiam nacta fuiſſet, quam magnifico ſententiarum apparatu, quam profuſo luxu verborum non fallaces inſidias, ſed vera virtutis prodigia Poſterorũ fidei comparaſſet! Agite igitur, viri Sapientiſſimi, & quando tam amplum ſcribendi otium diuturna pax Italiæ adminiſtrat, exite è quinquennio iſto Pytagoræ: parata vobis eſt dicendi cura magnifica, emolumentum dulce, voluptas honeſtiſſima. Agite, nunc expergiſcamini vere, & quando non ciuitates, ac Regna, ſed pagi omnes, ac villæ laudationibus potius, quam hiſtorijs Maiorum ſuorum vmbras in famæ Solem eduxerunt, date & vos veſtris tenebris lucem aliquã, & ſepultos illos Peruſinos Theſeos, Peruſinos Hercules, noua Mundi miracula, ſuſcitate.

Sapientes ne, an Fortes Peruſini Ciues plus ornamenti contulerint in Patriam.

ORATIO SECVNDA.

CVM in omni genere laudum floruit eximiè ſemper auguſtiſſima veſtra Ciuitas, Nobiliſſimi Peruſini: tum in primis rei militaris gloria, & ſapientiæ ſtudijs adeo ſine æmulo clara fuit; vt, ſi Vrbem Romam excipias, quæ tenuit in omnibus principatum, maior pœne videatur eſſe, quam vt cum cæteris Italiæ populis comparetur. Nam præterquam quod tanta, ac tam ferax vtriuſque decoris extitit Peruſinæ virtutis vbertas, vt fortiū, ac Sapientium Ciuium, vel ipſa nomina recenſere, non exigui ſit operis Oratori: illud admiratione dignius videri debet,

quod duplex id ornamentum pacis, ac belli, quod vel natura ipſa ſeparatim diſtribuit, vel humani pectoris anguſtia, coniunctim non capit, adeo hæc Ciuitas vna coniunxit, vt in otio, atque negotio æque ſemper illuſtris, cum tumultuoſa tractatione bellorum, quieta pacis meditamenta coniunxerit, Quod ſi Romanæ rei amplitudinem admiramur, quoniã ad eius exortum, atque incrementum virtus, ac fortuna ſibi ſemper infeſtæ, icto quodammodo fœdere conſpirauiſſe dicuntur: non minoris gloriæ particeps habenda videtur hæc Vrbs, cuius gratia pacatæ laudes, ac bellicæ nulla pœne naturæ affinitate deuinctæ, arctiſſimam inter ſe contraxiſſe neceſſitudinem familiaritatis videntur, vt Peruſinum nomen coniunctis opibus ſimulacrum gloriȩ abſolutiſſimum conformarent. Verum in hac diſſimilium rerum, ac veluti externarum partium felici conſenſione diſſenſio quȩdam ciuilis exoritur: cum enim potiſſima Peruſiȩ gloria, partim è fortiſſimorum Ducum facinoribus, partim è doctiſſimorum ſapientium litteris deriuetur: dubitari non mediocriter poteſt, Sapientes ne, an fortes plus ornamenti contulerint in huius Patriȩ felicitatem. Qui locus quoniam nec pertractari fere conſueuit à vobis, & iucundiſſimi certaminis ſpeciem Peruſiȩ glorioſiſſimam preſefert, non ab re facturum me exiſti-

ſtimaui, ſi parum hoc temporis, quod in auſpicandis litterarum initijs impendi ſolet, in huiuſmodi diſputatione conſumerem. Res erit veſtris auribus non minus digna, quam, vt ſpero, omnibus grata: mihi etſi perdifficilis, ſuſcipienda tamen: quoniam ijs periucunda, ex quorum honeſtiſſima voluptate, omnia mea ducere commoda conſueui. Atque vt ne videatur vel leuiſſimus Orator Lyſias coram Socrate de Sapientibus, vel ridiculus Phormio coram Annibale de bellatoribus diſputare: ſtatui, vt ipſos potius Sapientes veſtros, ac Duces pro ſua quoſque cauſa dicentes audiretis. Videor enim iam mihi veſtrorum maiorũ infinitam propemodum videre multitudinem in duas veluti acies fortitudinis, ac Sapientię diſceſſiſſe, & hos quidem pacato animo, atque tranquillo cum ſapientia Duce, tamquam in vmbraculis verſari in caſtris: illos vero ſuccenſos cupiditate Victorię in ſolem, ac puluerem Martialis glorię auguſtiſſima ſigna ſuſtollere. Sapientium grauis inceſſus, vultus ęquabilis, cultus munditiarum negligenter excultus, totius oris vergens in ſenium dignitas, & maieſtas inter bellicoſorum minas, ac terrores metuenda magis, quam metuens. At Bellatorum color ater, truces oculi, vibratuſque capillus, vocis ſonus contentior, pernix in motu velocitas, ſpiritus confidentior,

& ſpes, quę iam deuorauit Victoriam. Inter quos ipſa Ciuitas illuſtris illa Italię Matrona, è pręcipua Gręcorum nobilitate veterem ducens Originem, tantorum Heroum parens Auguſta, vultu ad hilaritatem compoſito, media intercedit, ſeque pari ab vtriſque gloria nobilitatam affectans, extenſis manibus, Iocaſta longe felicior, conatur diſſentientes liberos in pacem concordiamque reducere. Sed, vt difficile admodum eſt, in certamine dignitatis militarem continere licentiam, videtur mihi militum acies impatiens irę, laboreſque ſuos cum ſegni otio Sapientium indignata conferri, circumferens minaciter oculos, crineſque honeſtiſſimo puluere, ac ſudore reſperſos, protendens opima hoſtium ſpolia, & aduerſas magnanimorum pectorū cicatrices contento clamore in hęc ferme verba prorumpere.

Enimuero nos, qui Patrio Cœlo ſponte relicto, priuatis orbati commodis, atque ex omni curſu felicitatis domeſticæ reuocati, vt publicis defatigati malis, externa aliqua clade premeremur, exules, & pro Patria in extrema hominum mala præcipitati, fortunarum noſtrarum ruinis, & ſtrage corporum, Peruſini nominis famā ereximus; hanc partem accipimus ob parta decora noſtræ virtutis? Gloriam noſtrorum laborum ſuauiſſimum fructum, cuius illuſtris, ac generoſus ardor compulit.

pulit extorres, ac miſeros per immenſarium altitudinum inuias rupes, deſertaſque ſolitudines modò Solis imminentis ardoribus exæſtuantes, modò triſti gelu concretas, & aſſiduis imbribus impeditas. ſubire tot, ac tanta Martis incerti pericula, vt dulciſſimum hunc vitæ ſpiritum, ereptum Patriæ, Amicis, ipſique Naturæ, pro comuni cauſa, hoſtibus, ac morti traderemus, illam gloriam, quæ nobis tantis excurſionibus, tot laboribus conſtitit, pro ſua ſibi vindicant in otio Sapientes, cuius ſi auctio facienda eſſet, atramentum, videlicet, illi deferent pretium, nos iam ſanguinem licitati ſumus? hoc vnum igitur Victorijs noſtris euicimus à Patria, vt in conferenda gloria, pares ſegnibus iudicemur: cæci nimirum in prælia ruimus, ingenti periculo, fructu nullo? nihilque aliud nos fatigando, niſi odium Patriæ conquiſiuimus? quid iam certum, quid non controuerſum apud Mortales erit, ſi dubium adhuc eſt, metus ne magnanimitati, an robur infirmitati præſtet? nec pudet cartarum lituras, ac maculas cum honeſtis aduerſorum vulnerum cicatricibus, inanem leuiſſimi rumuſculi famam cum ſolidis trophæis, ac triumphis conferre. ſed profectò laudum ſteriles & inglorij ſumus: non enim oſcitari conſueuimus in hemicyclis, non cum iſtis Radamantis, cenſorio ſupercilio, buccisque Mineruam, vt aiunt, par-

turientibus, ex Iouis tabulis fatorum Oracula recitauimus. fatemur, quæ illi audiendo, & legendo, nos agendo didiciſſe, an & hoc in controuerſiam reuocabitur, facta, an dicta pluris ſint? Et facere & pati fortia prima pars eſt laudis Romanæ, an eadem Peruſino generi labes erit, ac dedecus? Nos hanc Patriam inter haſtas, & clypeos noſtris prius inſtructam armis, quam natam, belli ante capacem, quàm vitæ educauimus atque eduximus, an vt adulta maturæque virtutis rapina literatorum foret? Homines noui, atque reptitij de legitima nos antiquiſſimæ dignitatis poſſeſſione deijciunt: & iam incurſione facta per fines noſtros, ex inſidijs populabundi magis, quàm iuſti more belli diſcurrunt, raptam ex noſtris laboribus prædam portantes. Ite nunc egregiæ animæ bellatorum, quæ ſanguine veſtro hanc Patriam peperiſtis, natale ſolum relinquite, negligite rerum Vrbanarum ſuauitates, & commoda, obiectate caput periculis, ite per immanes Oceani tractus veſtro ſanguine decolores, petite ſcopulos veſtro naufragio nobiles, Alpium cautes, atque aſperrima ſaxa, nocturnos illos ceruicum puluillos, & diurna pedum impedimenta perrumpite, borealem glaciem æterno rigore concretam, veſtri pectoris anhelitu, veſtræ mentis ardore reſoluite. quin etiã innumeris ſedomiti cladibus reuocare cur-

curſum in Patriam, hoſtis inſtat ad fines, educite pubem è caſtris, & ſpiritum tot malis, ærumniſque ſuperſtitem, præſenti exitio reddite. nimirum iacietis ſemina gloriæ, cuius fructum colligent ſibi per otium Sapientes. O mores indignos, ò iniqua fortibus ſæcula! Hoccine meruit diuina illa vis propugnatrix huius Vrbis, Aſylum Italiæ, patrona publicæ quietis, hoc illa ſalutarium excubiarum nunquam defeſſa fælicitas, cum toties hoſtilem gladium Italiæ ceruicibus imminentem clypeo noſtrorum pectorum depulimus, cum Barbarorum incurſus ad Smirnas, Miletum, Famauguſtam, Melitam, Cyprum tanta cum laude ſuſtinuimus, florentiſſimas Ciuitates ab interitu vindicauimus, hoſtium præſidia deiecimus, audaciam fregimus, impetum vel viribus viuentes oppreſſimus, vel mortui obiectu cadauerum retardauimus. Nos ad memorabiles illas Thraſymeni Lacus, Cannarumque pugnas ſuperſtites, Caſilinum Campaniæ oppidum, adeo conſtanter defendendum ſuſcepimus, vt honeſtam pro publicis fortunis mortem, vitæ ipſi, omnibuſque priuatis commodis, anteponendam eſſe cenſuerimus: noſtra fides, atque conſtantia Octauianum Cæſarem admonuit, vt Vrbem hanc flamma, ferroque vaſtatam admoliendam iterum curaret, & munitiſſimis arcibus, mœnibuſque præcinctam, ſuo, hoc eſt, Auguſti no-

mine decoraret. Nos poſt diſceſſum Cęſarum ab Italia, bellicas exercitationes obſoletas iam in vſum priſtinum reuocauimus, militares teſſeras inſtituimus, agreſtem iuuentutem militiæ rudimenta docuimus, & in certam prælij faciem obarmauimus. Nos Reges Neapolitanos tutati, nos Mediolanenſium Duces, nos Lucenſem Remp. nos pro Venetis iuſtiſſima, atque atrociſſima bella ſuſcepimus, pro Florentinis hoſtilem impetũ, quantum potuit vi, & conſilio obſiſti, fortiter per vndecim annos excepimus. Nos fide, magnanimitate, atque conſtantia Annibali, Auguſto, Alphonſo Regi, optimo cuique Europæ Duci miraculo fuimus. Quoties teterrima ea bellua Chriſtiano generi ſemper infeſta, ampliſſimis Italiæ fortunis ad prædam ſibi propoſitis, è Tracijs educta finibus, munitiſſimas noſtrorũ montium aſperitates ſuperuadens, crudeliſſimorum latronũ excurſionibus prædabunda, laceraſſet, hauſiſſet, exinaniſſet opulentiſſimas quaſque Ciuitates, niſi Peruſini Heroes Chriſtianæ Reipublicæ defenſores acerrimi reſtitiſſent? Quæ tum Italiæ facies, qui ſtatus fortunarum veſtrarum foret, cum agros ferro vaſtatos, prædam abactam, incenſa paſſim tecta videretis, cum omnia ſacra, ac profana polluta ſcelere, atque flagitio, clamore hoſtium, trucidatione ciuium perſonarent? Quod ſi hæc maiora fide,

& à nobis oſtentui ficta creditis, ſi de noſtris laboribus ingratiſſimæ veſtræ literæ conticeſcunt, at hæ dirutorum mœnium non dum refectæ ruinæ ſatis per ſe ipſæ loquuntur: ipſa hæc Vrbis facies priſtini vulneris adhuc liuore decolorata, facile reuocat in memoriam funeſtiſſima illa tempora, cum Totilæ, eiuſque ſatellitum furor, contra omnia humana, atque diuina iura incredibili armatus audacia, innocentiſſimi noſtri Præſulis Herculani cæde cruentatus, Peruſino tamquam ſordido abuſus ſanguine, noſtra omnia commoda ſceleris ſui prædam fecit. Fingite nunc vobis animo cladem illam, quæ niſi noſtri capitis ancipiti dimicatione propulſata foret, ſæpiſſime verſata eſſet ob oculos. Iam effractis Italiæ clauſtris, comunis hoſtis depopulato excurſionibus agro, traiecto Tyberi, mænibuſque vallo circumdatis, impoſitiſque aggeri turribus inſtat ad muros, Ite vos optimi Patroni Reipublicæ, agite cauſam pro roſtris, hoſtium crimina librate raſis in antithetis, dicendoque peruincite, contra omnia iura, legeſque ſacratas bellum eſſe ſuſceptum: tum diem hoſtibus indicite, mulctam irrogate, voſque ipſi, ſi Deo placet, è veſtris ſubſellijs reos, lege Cornelia de Sicarijs, condemnate. An non videtis, an non ſentitis adhuc, certum præſidium in re incerta cerni, veſtra ſtudia vix re ſalua-

prodeſſe? At enimuero non vidiſtis, aut certe perrarò, vicina oppida dirui, Vallem Iani infeſta populatione vaſtari, campeſtria Tyberina peſſundari. Vos ſcilicet, vmbratici, ac molles pingebatis in puluere, dum nos medium in agmen prouecti, veſtram cauſam non argutis Rhetorum veſtrorum mendacijs, ſed manifeſto vitę diſcrimine in omnes finitimos populos perorauimus. Nos vidimus, nos ſenſimus, quid demum ſit, audito repente claſſico proſilire, ad prima certamina ſigna concurrere, animæ prodigum eſſe. Quamquam iſta ipſa tranquillitas, in qua tam magnifice vos effertis: quorũ parta laboribus eſt, cuius virtutis munus? noſtris curis veſtra ſecuritas conſtitit, noſtra bellicarum exercitationum vigilia, quieti veſtrarum literarum excubuit: Sed non exprobrant beneficia, qui tam prodiga liberalitate profundunt: ſitis per nos florentès, ſitis beati: ſed ſi noſtris incommodis, pacatis Iuſtitiæ commodis perfruimini, ſi tam ſanctè æquitatem colitis, cur in veſtros ciues tam iniquè conſulitis? ſæpe quidem noſtris corporibus ſuprema exequiarum ornamenta denegaſtis, animis ne etiam immortale memoriæ ſepulchrum auferetis? Cæteri ſane homines, quos ab ineunte ætate martialis gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxit, ita bella ſuſcipere conſueuere cum hoſtibus, vt in

Pa-

Patria pacem tenerent: at nos domi etiã bella, barbaroſque nanciſcimur, aliud ex alio malum. Foris hoſtium incurſu premimur, domi ciuium inuidia conflagramus. date miſeris, per Deum immortalem, locum receptui, in quo, ſi minus vita præſidium, certè fama meritũ gloriæ ſtipendium conſequatur. Valeat igitur in Patria apud ſuos Ciues celeberrimum illud nomen, quod foris apud exteras nationes tam clarum remotiſſimas Inſulas, ac Prouincias Victorijs peragrauit, quod tanti faciunt Europæ Principes, ac Dynaſtæ, quod expaueſcunt barbari, venerantur finitimi, cuius præſentiſsimam opem toties ſunt experti Senenſes, conſequuti per tot annos Florentini, intonauere Smyrnenſes, cognouere Famaguſtani, ſenſere Melitenſes, admirati ſunt Veneti, optimique Pontifices ad Romanæ rei præſidia ſæpiſſime aduocarunt. At profectò, vt nos manu ſalutem omnium quærimus, ſic vos lingua, veſtra tantummodo decorà extollitis. Sed age, nihil moramur, ipſa ſe prodet lux noſtra: quamuis tegas, ac premas, numquam tamen oppreſſeris, nunquam extinxeris, ſemper exiſtet, eminebit, erumpet. Niſi forte idcirco peritura creditur, quod non reliquerimus Poſteris ære, aut colore comprehenſa noſtrorum vultuum ſimulacra, non erexerimus in foro, & compitis auguſtiſſimorum propylæa tecto-

rum, & ampliſſima ſapientiæ delubra, ad quæ conflueret ſacris operatura doctrinis omnis Italica, atque Europæa Nobilitas, ſpolia ſunt iſta temporum, & præda vetuſtatis; non cæmentis, aut ſaxis gloriam noſtram commendauimus, ſed virtutum perfectiſſima ſimulacra, in animo Poſterorum incidimus. Noſtræ indolis eterna ſpecies, impreſſa mentibus, expreſſa moribus, immortali ciuium imitatione, per omne ſpecimen virtutis heroicæ reuiuiſcit. Quid enim in Peruſina iuuentute concitatus ille generoſi pectoris impetus ad militiam capeſſendam, quid ille totius oris habitus ad robur animorũ, corporumque compoſitus, ita naturæ muneribus habilis, ita ornatus ad prælıũ, vt ab ipſo Marte effictus quodammodo videatur, niſi noſtræ virtutis expreſſa, ac viua in minima degeneri Poſteritate vestigia. Contemplare faciem Peruſinæ iuuentutis, noſtrum genus agnoſces, habes noſtræ memoriæ numquam intermoritura monumenta. Oris color iucundus, flammeo ſanguinis flore ſubfuſcus, crinis ad frontem promiſſus impenſius, & militari quadam licentia ludibundus, lata frons, & explicita, acer oculorum conjectus, index ſemper vigilantium animorum, flauo ductu per malas lanugo luxurians, totius oris martialis quædam dignitas, ac maieſtas in tranquillo feſtiua, formidabilis in terrore, ceruix erecta,

latum

latum pectus, lacertoſa brachia, manus habitæ, habileſque, latus ſemper munitum Martis inſignibus. Quod ſi hæc muta ſigna, & ſpecie tenus ficta ſimulacra bellicæ noſtræ virtutis videntur, inſpice in eorum ſtudia, & exercitationes. Videbis eos pollentes viribus, ingenio validos, non ætatem per ignauiam, luxumque deterrere, ſed venando, currendo, algendo, æſtuando, tyrocinia ſpartanæ virtutis ponere, per compita, ac plateas paſſus, ac verba imperatorio æquamento librare, equos ligneos à dextris, ac ſiniſtris inſilire, ac deſilire pernicissima velocitate, fictis certaminibus prætudere veris, ex leui verborum rixa graues excitare turbas, & à luſorijs telis, facile ad arma decretoria deuenire. Quid hic tam celer animorum, corporumque motus, quid hic incenſus ardor ad prælium, niſi bellici noſtri tumultus vſque adeo aura perdurans, & excitatæ à nobis flammæ ſuperſtes adhuc igniculus? Intuere ſtudia puerorum: quid in illa ætatula molle, quid tenerum, quid virtute maiorum ſuorum indignum? non inanibus puerorum ſtudijs delectari, non languidulis illiquefieri voluptatibus conſueuerunt, nō in gremio nutricis ali, aut vernarum geſtari manibus, cum melitenſi catella colludere, ſed è cunabulis, ac domibus pedem ſimul efferre, tractare gladios, reptare per ſcuta, anhelare curſibus,

pe-

petaſo pinnulas, lateri enſiculum appendere, ad ludicras ſuorum ęqualium pugnas omnem animum, & cogitationem adijcere, dedita opera tumultus ſimulare, ex certamine dignitatis ſtatim ad manus, pugnaſque venire, nihil mediũ, nec ſpem, nec curam, ſed immenſa omnia animo voluere. Quid plura? Videre licet ſtatis illos temporibus, per Vrbis compita martię cohortis faciem integrare, habere paruulorum militum ſub certo Duce delectum, auxilia accerſere, ſupplementa poſtulare, dare ſigna, adeſſe cum armis, ordines diſtributo committere, orbes facere, procurrere, ſubſiſtere, ſimulare defectionem pro ſapientia, apertas effundere vires pro copia, ſique eminus pugnandum ſit: ſaxa lineis tormentis excutere, tela hoſtium miſſa remittere, eorumque multitudine ſolem obruente, in vmbra, more Laconis illius, pugnare: ſin propius accedendum: ibi vero virtutem oſtendere, hoſtilem aciem circumuenire, miſcere, mouere loco, nudare cornibus, laceſſere, fundere, fugare, vincere, Victorię inſignia reportare. Hęc ſunt memorię noſtrę monumenta gratiſſima, hęc nunquam noſtrę glorię famam intermori patientur. Agite nunc, vt lubet, enerues, atque vmbratici Sapientię amatores, noſtra nomina in palimpſeſtis, & commentarijs perpetua obliuione deterite,

conticeſcant veſtræ literæ, loquentur facinora Poſterorum. Iam videtis, iam intelligitis, ſi palmam huius certaminis affectatis, ſi gloriam noſtram imminuetis, Peruſinæ prius Iuuentuti bellicum ardorem auferte, pueris martialem indolem euertite, è Peruſino Cœlo naturam, e natura ſuos impulſus euellite, tum de nobis trophæa figite, tum detractis noſtræ gloriæ ſpolijs, triumphate.

Hæc atque alia in huiuſmodi ſententiam diſſerere videntur Peruſini Duces, quibus conentur euincere, vt hæc Ciuitas bona omnia aſcribenda eorum viribus non conſilijs ſapientum velit. At contra Sapientes, ingruentem inimicorum impetum, ſæuamque procellam certaminis inuicto animo ſuſtinentes media inter arma pacati, non vocis clamoribus, ſed rationum momentis agendum rati, ad bellatores conuerſi, tranquillo vultu in hæc ferme verba reſpondent.

Non erat, cur in ſedato hoc virtutis, gloriæque certamine fluctus iſtos bellicos, & turbulentam ſeditionem moueretis. Aliud acies, ac prælium? aliud ludus, campuſque noſter deſiderat. Non clamore, ſed meritis agitur, & adoriri euellere, quæ commoueri nequeunt, labor irritus eſt, & ſpes inanis. quid enim vecordi iſta vociferatione extorquere conamini, quod vltro concedimus?

mus? Non eſt in poſtrema parte noſtræ gloriæ, quod inſtar ſupremi Iouis Sapientiam noſtram, ac Palladem non imbellem, ac teneram, ſed bellorum armis inſtructam ediderimus. neque enim obſtrepit, vt vos putatis, clangor ille tubarum, ſed occinit muſarum concentibus, ſtabilique Martis munimento, Sapientiæ ſtatiua firmantur, Auguſtæ Liuiæ lictorum præſidia callidus, & meticuloſus Imperator non permiſit, vel inuidia, vel metu. Nos, quia alienum faſtigium diminutionem noſtri non putamus, Imperatricem Sapientiam non modo noſtris armare conſilijs, ſed veſtris, hoc eſt, amicorum, & clientium vallare præſidijs volumus. Atque vt de Venere dixere Lacedemonij, eam cum Spartam inuiſeret, depoſito omni cultu, mundoque muliebri, clypeum, atque haſtam aſſumere conſueuiſſe; ſic profecto videtur ſapientia, deſtitutis Aegiptijs, Caldæis, & Græcis, alijſque olim ſapientiſſimis populis, vt in hac Vrbe perpetuam ſedem tuta, ac ſecura poneret, non inermis ac nuda; ſed veſtrorum armorum ſubſidio munita ad nos accedere voluiſſe. Quod ſi totum hoc veſtræ fortitudini tribuendum potius, quam noſtræ felicitati videtur, age, ſit ita ſane. Vos vltores hoſtium, propugnatores Italiæ, Parentes Patriæ, Chriſtianæ libertatis vindices, & authores. Oſtentate cica-

trices, narrate victorias, numerate pugnas, captate plauſus, & quaſſanti capite, gloriarum pleniſſimi Sybaritæ, per plateas ambulate ſubnixi: Habetis pretium laboris, quod oportuit eſſe notam virtutis. En aderit à tergo, qui vos digito monſtret, & comiti in aurem inſuſurret. Hic eſt ille bellipotens Aiax, hic ille domitor Populorum Achilles. Fruimini leuiſſimo iſto ſonitu, volantique flammula fugaciſſimi luminis: non obſtamus, neque enim iſto gloriolæ tinniente rauduſculo, ſed magnificentia ſui nos detinet ſapientia, quæ non inani ſtrepitus mercede, ſed ſui ipſius miraculo colitur. Quod ſi fortibus factis non vendibilem hanc auram aucupati, ſed veram, ſolidamque Patriæ gloriam ſectati eſtis; magnum ſane, atque infinitum eſt, quod vobis vniuerſa hæc Ciuitas, noſque in primis debere fateamur. non mediocri nobis ornamento, ac præſidio fuiſtis, Apollinis citharæ Achillis lyram attemperaſtis, paciſque ſecuritatem, bellorum diſcrimine peperiſtis, fatemur, meminimus: abſoluite nunc beneficiũ veſtrum, date liberam poteſtatem comuni Patriæ de noſtra vtriuſque virtute iudicandi. Neque enim oſcitans, vt dicitis, & dormitans Sapientia arida huic Vrbi, ac ſterilis, ſed de omnibus optime merendo longe fortitudine veſtra vberior, & gloriæ feracior eſt. Cum enim duo ſint, qui-

quibus vniuerſa gloria continetur, beneficia in comune bonum collata, & præclari nominis apud alios peruulgata notitia: ſi à beneficijs ordiri volumus, cõtemplamini duo illa Reipublicę tempora, pacis, ac belli. Belli quidem ſtudia veſtra eſſe vultis, illa laudum veſtrarum ſeges, illud ſpatium, ac ſtadium, per quod induſtria tantum veſtra decurrit: quaſi vero in hoc puluere Philoſophi non deſudarint. Veneri, non Mineruę, à Ioue bellum interdictum eſt, vt legimus apud Homerum, & Romæ cum Martis ancilia quaterentur à Salijs, imploratio Mineruæ frequens, Veneris ne nomen quidem ipſum audiebatur: quo longe vos turpiores eſtis, qui vbi diutius voluptatum Deę ſeruieritis, continuò è Veneris hortulis, in Mineruę campum, è mimulorum gregibus, ad Pretorianorum cohortes profecti, ita imperare conſueuiſtis exercitibus, vt ignari omnium hęreatis, trepidetis, nec prelio ſtrenui, nec boni conſilio, niſi cum ſumitis aliquem ex nobis monitorem officij veſtri. quid enim robur iſtud audax ſine cauto conſilio, quid dextera ſine mente, niſi ſtolida quędam ferocia eſt? ſępe fortitudo veſtra, vicit in acie, quia Sapientia militauit in caſtris. nil tibi tormenta valida proſint, niſi certa arte librentur. Imperatrix operum ratio eſt, hęc illa Perſei cuſtos Minerua, illa Te-

thiſ

this Achillis mater & magiſtra, illa Themis, & Apollo. quem bellaturi Duces antiquitus conſulebant. hæc ſi recte præceperit, felicitas vltro ſequetur. Non educes in aciem exercitum ſine docto Palamede, neque euades ſine prudenti Vliſſe Polyphemi potentioris cuſtodiâ. Atque vt in clypeo Mineruæ, Athenis, latebat compendio inſcriptum nomen ſculptoris Phidiæ, ſic ſi diligenter in libertatem, ac defenſionem Ciuitatum inſpicias, abditus apparebit author animus, & conſilium ſapientis. Sed ne vllo pacto extra noſtras quodammodo ripas effluere, eorumque limites ingredi videamur, pax aliquando canat receptui. Sint parta armorum viribus imperia, quis parta ſeruabit? Ecce tibi ingentia iſta ſimulacra, è ſaxo ſculpta, & è robore dolata, vacua cerebro capita, ſtultiora Chorœbo, quid iam prouidere conſilio, quid ingenio moliri poſſunt, quam priuati, quam publici muneris partem expedient? Cui ſaltem rei, cui gloriæ ſtudere ſe dicent? augendis ne diuitijs, quas libidines diſſipauerunt? vitijs animi in deterrimas quaſque partes diuina, atque humana iura conuertunt, num Iuris prudentiam colunt? Nihil ingeniorum acie intueri, nihil mente comprehendere abductum à ſenſibus præ hebetudine poſſunt, an in Philoſophorum lycea tranſtulerunt ſeſe? In triuijs, & compitis

opti-

optimum quemque fœdiſſima nominis, ac famæ dilaceratione proſcindunt, an hæc è Rethorum ſcholis hauſta præcepta dicendi! ſed fortaſſe non huiuſcemodi virtutibus inſiſtunt, quæ oſtentationem aliquam doctrinæ præſeferunt: ſed ijs, quæ legem vitæ, morumque temperationem conſtituunt. Cui ergo? liberalitati! at omnia domi venalia ſunt. Modeſtiæ? at neque dicere, neque facere prorſus quicquam penſi habent. Iuſtitiæ? at ſegnitiem voluptatis amant, & virtutis præmia ereptum eunt. an Reipublicæ capeſſendæ? At ſibi quiſque ducere, trahere, rapere, ſpecie ſimulationis bonum oſtentare publicum, priuatam moliri potentiam norunt, ſed vſque adeo occulte, & cuniculis oppugnatur Reſpublica, quid ſi aperte petatur? Iam volitat armatum ſcelus, iam otij, & luxus comes libido, atque licentia debaccatur adeo, dilaceratque Rempublicam; vt nihil magis commodum, ac neceſſarium ſit, quam eorum, vel frænare licentiam, vel excitare ſocordiam. Etenim ex bellicoſis iſtis, alij quidem (quando eorum laudes cum noſtris conferendæ ſunt) adoleſcentes præſertim, quos illi ſpirantes imagines ſuæ virtutis appellant, prorſus indomiti, atque effrænes, nec iam à parentibus vllo ſe pacto regi patientes, quicquid aut per naturā, aut per leges licet auerſati, in omni ſla-

gi-

gitiorum genere volutantur. Videre licet non nullos ex iſtis proiectæ audaciæ, cruentis manibus, qui nulla domeſtica labe contenti, nihil odium ciuium, nihil famam omnium metuentes, ſcelere aditum flagitio præparant, cædem feciſſe, pro munimento habent, horum, inquam, videre licet globos, ac turmas vicatim, ad ſuam quemque licentiam, adlecto ſibi Gabinio aliquo Duce, per vrbem impune volitare, nocturnis ſeditionibus vrbẽ diſtrahere, paſſim cædibus operari, templa polluere, nihil ſacri, nihil ſancti prorſus habere, & tantum vrbem non incendere, mænia non quatere, nec hoſtilem in modum prædas agere. Hancine vitam defenſorum Patriæ, hoſcine mores Propugnatorum Italiæ? O flagitia, ô genera ſacrilega! Iam liberale ducitur facinus, voluptates ſuas Ciuili ſanguine alere; Thraſones, & Clodios paſcere publicis exitijs, ac rapinis, in ædes alienas irruere, bona diripere, familias ad mortem vſque mulctare, profundere, perdere, facere totius rei familiaris naufragiũ, ad infames incontinentiæ ſcopulos, ad vortices hæreditatum popinas, ad ſyrtem patrimonij fritillum. Hæc, per Deũ immortalem, vtrum eſſe vobis belli ſubſidia, an pacis dedecora, vtrum ſtudia bellatorum, an odia furioſorum videntur! Et tamen eò ſe noſtri adoleſcentes præcipites agerent, niſi ſe contra obij-

ciant monita Sapientum. Hoc præſtitit ad Perſas Macedo, Poenus ad Capuam, hoc vbique Principum Romanorum nepotes. Neque ſane hic modus: alia peſtis imminet fortaſſe capitalior. Nonnulli enim ex his, quos non inſana crudelitas tranſuerſos agit, ſed procax illa mentiú humanarum Helena, quæ tot Parides facit, illa Dalila, quæ tot Sampſones eneruat, illa affectuum blandiſſima Circe, ac Domina voluptas decepit, ex acie bellorum, tanquam è deliciarum contubernijs, è ſole, ac puluere, vt ex Adonijs vmbraculis accerſiti, ad volutabra ſenſuú victores animos deprimunt, è Lacedæmonijs Alexandrini, è Bellatoribus fœminæ facti, otioſam, & exoticis vnguentis delibutam ætatem exigunt. En tibi futilis aliquis homullus ex hoc grege, totus ad vnguem mundulus, muſſus, ac dulcis, magis odoratus Arabia, magis elumbis columbula, erecta ceruice cum calceolo ſycionio, quaſi fercula pomparum ferat, ludibundum, & plenum illecebræ criſpat inceſſum. Quid miramur enerues noſtros Parides cum mitellis, & crocotis ſaltare ad tibias, ſi fortiſſimi Hercules vnguentati, ac marcidi ſedent ad colos? Iam quid horum iuuenum curæ, quibus in ſtudijs collocentur, quæſita illa pulcritudinis lenocinia, & veſtimentorum elaborata concinnitas; ſatis declarant, Vna enim cæſaries quanta in-

du-

duſtriæ, quanti laboris opus? vt modo guttis arabicis obuncta, & in cincinnos dependulos à temporibus certa lege diſpoſita, cumuletur in aggerem, arcemque leuitatis, primæ ventorum velitationi ceſſura, modo reciſa à fronte, & in vnum porrecta cyrrulum ab aure propendulũ, erraticam propaget volaticæ amœnitatis vmbellam. tum amiculum à ceruice reticulatum, frequenti inuolucro plicatile, ductilique diuerticulo identidem per interualla contortum, quam molliter, ac delicate cubat ad humerum, adeo flexuoſis conuolutum anfractibus, vt noui labyrinti Dædalum molitorem adfuiſſe credas, adeo tenui variatum diſcrimine liciorum, vt aranearum in muſcas artificia videantur, adeo lato, altoque vallo collum, faciemque præcingens, vt putes cuſtodiam capitis eſſe, ne fugiat? longum eſſet, neque ex noſtra dignitate, cætera perſequi parerga leuitatis, vt bracteolæ mollicellæ ad mygdonios lemniſcos aura lacinias euibrante laſciuiant, vt enſiculus, otioſa lateris elumbis appendicula, æternæ addictus cuſtodiæ, capulo ſaltem gemmis illuminato reſplendeat, vt in ſiniſtellæ digito minuſculo ſemper acates offulgeat, vt pes addiſcens effæminatum ingreſſum, numeroſo tripudio, non ad Palladem loricatam, ſed ad Cordacem cum Citharis tria, Ludijſque barbaris lydium ſaltum euibret. Hæ tamen

curæ ſunt noſtrorum Aeacidarum,hi triũphorum ſuorum fructus. Quæ religio, quæ diſciplina ſeruabit hanc Vrbem, ſi iſta non perdunt? Perdidiſſent omnino, & quidem funditus, niſi ſtudia ſapientũ obſtitiſſent, qui eos modo admonitionibus emollirent, modo plecterent virga censoria. neque enim vnquam defuerunt huic Ciuitati è noſtro comitio concinentes Orphei, qui dulcedine carminis lenirent has Tygres, pellaceſque Syrenes ſuis cantibus conſopirent: non defuere Demoſthenes qui commode, ac ſapienter pro rè nata differerent, ad magnanimitatem in acie, ad Prudentiam in curia, in templis ad Honeſtatem, vbique ad virtutem heroicam inflammarent. fuere Thucidides, qui rerum præteritarum memoriam complexi, recte viuendi exempla proponerent, Archimedes, qui momenta, ac libramenta corporum, linearum, ac ſonorum rationes exequuti, ad audiendos aſtrorum concentus ab hiſce mortalium rerum catadupis auocarent, Ariſtoteles qui excitandi ingenij materiam, opportunitatemque præberent, Platones, qui rerum diuinarum ſcænam aperirent, Iuris peritiſſimi Baldi, ac Bartholi (quo enim celebriori alio nomine eos appelles, quã ſuo?) qui præmijs, ſupplicijſque propoſitis ad ſtudia honeſtatis auerſos animos reuocarent. Hi omnes otium, deſidiamque domeſticam arcentes à mœnibus,

Rei-

Reipublicæ noſtræ partes militum vitio ægras, atque labantes ſanauerunt,& confirmarunt. Quæ pro nobis breuiter, ac modice dicta volumus, ne & nos per inſolentiam ſtudia noſtra laudando extollere videamur. ſatis eſt, ſi comparatione deterrima, noſtra merita per ſe ipſa loquantur. Beneficia igitur, quoniam non exprobrari dicendo, ſed experiendo probari debent à Poſteris, in preſentia mittimus; de fama dicamus. In quo ſane mirum eſt, quantum ſibi tribuant Bellatores, cum tamen nulla via fortibus ſit ad gloriam, niſi nomina ſua famæ inſerant per noſtram famam, imo propterea antiqui gloriam, quæ inter muſas Clio dicebatur, doctiſſimorum hominum monumentis præeſſe voluerunt, vt oſtenderent, nullo modo immortalitatem nominis Heroes conſequi poſſe, niſi per titulos memoreſque faſtos Sapientum. Accius quidem poeta, cum eſſet humili admodum, breuique corpore, ſtatuam tamen in ædibus Camænarum prægrandi ſtatura ſortitus eſt: quam exilia, & nullius pœnè momenti fuere permulta facinora Bellatorum, quæ in Muſarum domicilijs, hoc eſt, in ſapientum monumentis ſupra comunem famam excreuerunt. Vt enim arcus ex nubibus à ſole coloratus enitet, ſic quicquid in auguſtiſſimo famæ theatro elucet gloria bellicoſorum, ex oppoſita luce literatorum in-

termicat. Perfectiſſima Apellis opera facile, ac ſubito perijſſent, niſi ea tenuiſſimo quodam, & ab eo tantum excogitato atramento illiniuiſſet, quod, & cuſtodiret à ſordibus, & colorum claritates excitaret. Clariſſima illa tot fortiſſimorum Ducum fama, ſitu temporum, obliuioniſque deformata ſordeſceret, niſi nitidiſſimo pigmentorum Rhetoricorum flore, & colore ſubinde colluceret. Quam exanguia, & plane intermortua Achillis, Alexandri, ac Cyri nomina ſint, niſi doctorum hominum ſtylo, ac ſpiritu agitata, ſopita gloriæ flamma recaleſcat. Nos quidem iam diu humanis defuncti periculis, inter ſuperos ſumus, nec tamen inter homines eſſe deſijmus. Viuimus in manibus Sapientum, in ſinu Italiæ, in oculis totius Europæ. Qui enim ludus, aut quæ officina literarum tam rudis, & excluſa ab omni doctrina, tam ignara legum, & æquitatis inimica, ad quam Peruſinorum Ciuium, Iuriſperitorum præſertim non peruenirent monumenta? Quid in florentiſſimis Italiæ Gymnaſijs, quid in vniuerſæ Europæ Academijs prælegitur, niſi noſtrorum hominum mandata literis Sapientia! Ex quo etiam factum eſt, vt horum voluminum doctrinam, & copia, & ſubtilitate præſtantem, admiratæ ceteræ nationes, ac populi, ſummo ſtudio, ſpe vberrima, ampliſſimiſque præmijs propoſitis in ſuas nos Vrbes, ac

Gym-

Gymnaſia aduocarint, vt noſtris præce-ptionibus, quaſi quibuſdam habenis ad fælicitatis curſum ſuorum animos tempe-raremus. Quod ſi illa verborum iactan-tia, qua milites ſua magnifice extulerunt, gloriari deceret Sapientes, eloquentiſſi-mi eſſe poſſemus; Nos enim Piſis, Ticini, Parmæ, Bononiæ, Patauij, Pariſijs per Philoſophorum inuenta, per nobilium artium diſciplinas Iuuentutem verſamus, ac flectimus. Nos admirati Auenionen-ſes, Firmani, Maceratenſes, Conimbri-cenſes, Romani, noſtram Sapientiam ſuorum ciuium Oraculum quodammodo eſſe voluerunt. neque ita ad regendas alienas Ciuitates inuitamur, vt non etiã huc ad nos ex omni Italia, atque Europa præſtantiſſimos adoleſcentes noſtri no-minis celebritate permotos, euocemus, qui Patriæ ſuæ commoda pro nihilo du-centes, itinera longinqua, laborioſa ſu-ſcipiunt, vt accedant ad hæc Comitia litteratorum, muſarum, & Sapientiæ candidati. Noſtra enim opera erecta ſunt hæc doctrinarum ampliſſima domi-cilia, Sanctitatis arces, cortinæ verita-tis, in quibus laudum cupidiſſimi Iuuenes otium nacti, facultatemque diſcendi, poſſint ſe ad audiendum, legendum, ſcri-bendumque conferre. Hi nunquam im-munes ab opera, dies, in libris noſtro-rum monumentis ingeniorum, peruol-uendis, noctibus iungentes, fæliciſſimo

ſtudio ad opes, gloriamque nituntur. Hinc Sapientiæ exacto curriculo, omni liberali, & digna homine nobili doctrina perpoliti, quas diuitias, quos honorum gradus non aſsequuntur? Hinc religioſorum ordinum moderatores prodeunt, hinc magiſtratus Vrbium, Præſides Ciuitatum, hinc Principes Sacerdotũ. Oſtentate nunc iactabundi bellatores veſtros Anteſignanos, & Primipilos, noſtri ſunt Rectores Vrbium, Principes populorum, noſtri Præſules Chriſtianæ Reipublicæ, noſtri rerum ſacrarum Antiſtites, Purpurati Romanæ Curiæ Senatores, ſummi, optimique Pontifices: Hi dum ſtabunt, dum eorum viuet gloria, non veremur, ne vllo vnquam tempore Peruſinum nomen intereat.

In hunc modum pro ſua cauſa dixere Sapientes. Mihi vero quid iam reſtet, niſi Peruſinam Virtutem, ac felicitatem admirari, quæ non bellicis magis enutrita laudibus, quam doctrinæ opibus inſtructa, Sapientiam armatam habuit, & fortitudinem ſapientem. Memorię datũ accepimus, Romę olim in auguſtiſſimo templo aram Herculi pariter, ac Muſis dicatam eſse: ſiue quòd comitatem omnem, atque elegantiam ſeueritate condiri deceat, ſiue quod Martis ferocia leniri debeat temperatione Muſarum. Sed profecto in hac pulcherrima ora terrarum Italia, tanquam in Religioſiſſi-

mo mundi delubro, Peruſiam eam eſse non immerito dixerim, quę ſui montis faſtigio veluti in aram ſemet erigens, fortitudini, ac Sapientię conſecrata, pares habuerit in vtraque laude proceſſus. Fuit hęc veſtro generi conſuetudo vetus, Peruſini, non vna via ad virtutem graſsari; ſatiſque vos, & doctorum, & fortium parentum imagines admonent, vtrum & vosfeceritis, recte eſse factu-ros. ſed quid hoc tempore ſit ex vſu ma-gis, diuturna pacis tranquillitas edocet, in qua eò magis ab otio cauendum vobis eſt, quò, cum illo, malarum artium, de-gener à virtute maiorum, induſtria inua-dit animos. lubricum iter deſidię eſt. Adoleſcentes, eo inſiſtere, aut progredi ſine aliqua ſcelerum prolapſione non poſ-ſumus. quibus artibus acquiritur gloria, iiſdem retinetur, labore parta eſt, labore ſeruetur. Magnis honoribus magni pa-rantur animi, ſed honores magnis labo-ribus. at huius ſane induſtrię, non aliun-de petenda vobis exempla ſunt, cum habueritis incitamenta domeſtica, poſita in illuſtriſſimo honorum monumento. ſunt in oculis, & hic apud vos, & in Auguſtiſſima Romę luce, ſumma cum laude verſantur; quos non nomino, ne aut eorum fœlicitati, aut voluptati meę nimis indulgere videar, viri veſtri ordinis ipſa lumina, quà domi claritudine gene-ris, inclyti, quà foris doctrinę laudibus

clari, quorum prestantiſſima virtus in altiſſimo, atque ampliſſimo gradu dignitatis, & gratię collocata, ita cęterorum famam obſcurat, vt ſtudia non reſtinguat, ita perſtringit oculos inuidorum, vt bonorum etiam ęmulationem accendat. Horum vos ſpectare principia, & ſperare exitus decet, ſi facta imitabimini. niſi forte, qui externis nobiles bellis fuiſtis, domeſtica pace corrumpi velitis, & in Patria degenerare in barbarum cultum. ſed dedite vos inertię corrumpendos, vt lubet. Subegerunt ergo Parentes veſtri tot nationes, ac populos, vt vos libidini ſeruiretis, fatigarunt illi ſeſe in tanta cultura virtutum, vt vos maturos fructus amitteritis è manibus? tot emenſi laudū magis, quam orarum ſpatia proſpere, feliciterque fuerunt, vos naufragium facietis in portu? quid hoc monſtri eſt, atque portenti? pulcherrimo capiti turpiſſima membra coniungi, bene cæpta fędo exitu claudi! Gloria in fonte tam lucida, cur in decurſione lutulenta? præſtitiſſet profecto illis non vincere, quam tales ſortiri victoriarum triumphos. Scio vſu euenire plerumque, vt, qui Patres familias auidiores ad rem, in augendis diuitijs ætatem, ac tempus inſumpſerint, eoſdem interdum ſortiri nepotes, ac liberos, qui momento temporis bona illa omnia lacerent, ac profundant. At vos nolite, per Deum immortalem, tam lau-

tum

tum & copioſum, tam honeſtis laboribus partum decorum omnium patrimonium, quod noua ſemper acceſſione virtutis amplificare debetis, aut per ignauiam negligere, aut per dedecus diſſipare, ac perdere. Ego ſane, hodierno die, parentum veſtrorum internuncius, ex eorum conſulto rogationem apud vos more maiorum promulgo, velitis ne auorum veſtrorum fortitudinem, an hoſtium, quos ſæpe viciſtis, ſegnitiem ſequi, Peruſinorum ne ſapientiam, an Abderitarum ſtultitiam imitari. Socordiæ quidem breue gaudium, & lutulentum, virtutis laborioſa, ſed pellucida, æternaque voluptas eſt. ſtatuite, an fluxam hanc æui breuitatem immortalitati per virtutem reſeruare velitis; an vbi libidinum ludibrio fuerit, per dedecus tandem amittere. Vigens ætas, valens conſilium, parata indoles, omnia vobis in promptu ſunt, dummodo in tantam virtutis materiam, aliqua fax æmulationis adhæreſcat. Neque enim ampliſſimam hanc gloriæ hæreditatem adire, ac cernere, tamquam in externam familiam, ſed immiſcere vos iure veſtro liberæ earundem laudum adminiſtrationi debetis. Quin igitur expergiſcimini tandem, adoleſcentes, agite, nominis Peruſini, parentumque ſimul gloriæ, ſimul virtutis memores, pleni animorum aſſurgite, & in laudem dignam auitis honoribus; parem indoli,

naturæque veſtræ capeſſite. Ite, ite in priſtina decora, bene iuuantibus ſuperis, & quod animis, vt video, cenſuiſtis, manu ipſa iubete. Iam enim, quid in habita fortitudinis ac Sapientiæ diſputatione, Peruſia ſentiat, & vtri ex ijs partibus Victoriam adiudicet, ipſa non profert. Veſtra expectat, non tam vocis, quam æmulationis ſuffragia: iudicate.

Priſcorum ne Martyrum fortitudo, an recentiorum doctrina Sapientium plus vtilitatis contulerint in Chriſtianę Reipublicę felicitatem.

ORATIO.

Habita poſtridie eius diei, quo Carolus Borromæus in Cælum publica ſacrorum celebritate receptus eſt.

Quarto Nonas, Nouembris 1610.

VEREOR non mediocriter, ne heſterna ſacrorum celebritas, qua Carolum Boromæum Principem Cælo digniſſimum

publica populorum acclamatione, & ſuarum occulta ſuffragatione virtutum, in Cæleſtium procerum ordinem cooptari vidimus, quemadmodum vniuerſos ad omnem Chriſtianæ laudis excellentiã clandeſtino ſenſu pietatis illexit: ita etiam aliquem ex nobis fortaſse magnanimo quodam contemptu rerum cæterarum ad ſalubriora cogitanda tranſtulerit, auerteritque à noſtratibus hiſce doctrinis, quæ non tam in negocioſa tractatione virtutum, quam in quieta veri contemplatione conſiſtunt. Cum enim ad potiorem illam virtutem ornandam, non ſolum è Cælo Deus omnia felicitatis honeſtaméta congeſserit, ſed in terris quoque ipſæ Vrbes, ac regiones cum optima principum voluntate conſentientes ſuis propè ſedibus conuulſæ, quaſi ſigno dato, concurrerint: noſtra verò ſapientia, minori veluti ſcena, & partium ſecundarum, neque plauſum humano maiorem conſequatur in populis, neque tam feliciter Cæleſtium aſsenſu quaſi acroamate commendetur. Enimuero, dixerit quiſpiam ad virtutem incenſus, nos qui in nuda rerum cognitione ſtudia ponimus, omnem miſeri operam ludimus: dum vel altercando, nubes ac nebulas conuicijs vanis laceſſimus, vel taciti oculos erigentes in Cælum, manum habemus ſub pallio. Imago hæc, & adumbrata pictura virtutis eſt, in qua præter neſcio quam ſpe,

peciem dignitatis, certi, ac ſolidi reperias nihil, ſine motu, ac ſenſu, ſine calore, ac ſanguine nudus color. Illa, illa virtutis nomine digniſſima virtus eſt, quam non euocatam è Cælo, in Vrbibus collocaſſe Socratem, ſed in moribus expreſſiſſe Chriſtum ex Deo, fateantur omnes, illa, quæ cõmunem hanc officiorum mediocritatem præterueẞa,in humano corpore vitam imitata diuinam, deſpectat infra ſe poſitam mortalis ſapientiæ nebulam, nec conſiſtere loco poteſt,niſi cum natali Cælo recepta,ac Deo proxima, in terris quoque, inſignibus ipſius penè diuinitatis exornetur. Quæ ſanè voces ad pietatem informatæ eò facilius irrepunt in animos, mihique neſcio quo læuo genio literarum, negocium longe faceſſunt maius, quò propius reuocant in memoriam aurea illa Florentis Eccleſiæ ſæcula, cum fortiſſimi Chriſtianæ rei vindices,& aſſertores, non acutè, docteque ſcribere, ſed facere, ac pati pro Chriſto fortiter voluerunt. Ea enim vero multo maxime virtus plauſibilis, quæ non vſitato olei,ac paleſtræ nitore contenta,vmbratiles meditatur ictus in caſtris, ſed aduerſus obiectos fortunæ caſus armata, in ſolem, ac puluerem, medium in agmen, aciemque procedit: ea facilè virtutes prægrauat æmulas, & ſi cum noſtra præſertim conferatur, citra puluerem, Victoriam ſibi aſpectu conficiet. Sed non id agitur, Patres,

tres, vt cum ſanctitate vitæ, Martyrijque gloria noſtratis doctrinæ laudes conferatur, & de vtriuſque præſtantia diſputetur, vti de re dubia, & controuerſa. Clariſſimus hic ſol eſt, mortali non indiget lumine; neque vnquam de pulcritudine cum Rachele fæcunda quantum vis Lia contendet. Illud inquiro, atque vrgeo, virorum ne ſanctimonia, ac martyrio perilluſtrium priſca illa virtus, ac magnanimitas, an recentiorum doctrina ſapientium plus commodi, atque vtilitatis contulerit in Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem. Vtrique conciliata ſibi numinis familiaritate nobiles, vtrique deriuata in alios commoditate ſalutares: ſed illi exaggerata quadam animorum altitudine prędıti per obiectos hoſtium gladios capita ſaluti publicæ deuouerunt: hi domeſticis contenti muneribus, omnem animum ad pacata Reipublicæ ſtudia tranſtulerunt. illi fortibus factis Chriſtiani generis fundauerunt Imperium: hi ſapientibus conſilijs inſtituerunt: illi apertos Tyrannorũ incurſus, hi clandeſtinas Hæreticorum inſidias compreſſerunt. In quo ſane iucundiſſimo vobis, vt ſpero, Vniuerſæ quidem certè Eccleſiæ perhonorifico certamine, non exhorret, vt creditis, non trepidat oratio mea, ſed vltrò ſe offert, & ante ſigna procurrens, ſtatum iam prælìantis componit. Vultis ſine tumultu ordines explicem, ad arma conclamem?

Eri-

Erigite hic iam animos, Auditores & vt Horatijs olim, & Curiatijs comunem cauſam priuato Marte decernentibus, Romani, Albanique, ſic vos pendentibus votis pro cuiuſque ſpe, ac fiducia, libtate victoriam.

Duo ſunt potiſſimum genera hominũ, quibus humanum genus debere ſe plurimum fateatur, Conditores Vrbium, & aſſertores libertatis; Quid enim in hominibus homini ſimile ſit, ſi ab omni cultu humanitatis abhorrentes, fuſi per agros, atque diſperſi manu, ac viribus, per vulnera, ac cædem viuant! Quid verò multitudo hominum domicilijs, coniugijs, linguarum comunione, mænium defenſione coniuncta, quid in ſuos ordines ex præcepto Philoſophorum diſtributa Reſpublica valeat, ſi Mezentio alicui, aut Neroni perpetuò ſeruiendum ſit? Propterea tantum Orpheo Poetæ, Rhetores Mercurio, Aſtreæ legis periti, ſapientes Philoſophiæ tribuerunt, quod horum operâ crediderunt diſſipatos homines ad vitæ ſocietatem aduocatos eſſe: Brutos vero, ac Decios in Deorum immortalium numero venerandos Poſteris Romani reliquerunt, quod ab eorum ceruicibus iugũ ſeruile depuleriut. Quæ ſanè beneficia eò accidunt gratiora, quò plus operis, ac laboris habent, vt cum telis hoſtium, dimicationi capitis, morti ipſi vita obijcienda eſt, nulla conditione præmiorum,

nulla ſpe priuatæ ſalutis. Quæ omnia ſi adrem, inſtitutumque noſtrum reuocemus, quo loco Martyrum fortitudo, quo Prudentium doctrina habenda ſit, plane conſtabit. Illi enim Chriſtianæ rei conditores ac Patres noſtram ſuo ſanguine ſatam ſalutem aduerſus audaciſſimorum hominum impetum ſuo periculo, ſuo dolore, ac funere defenderunt. Hoc quodcumque vides quam maxima Roma eſt, ante Phrigem Aeneam, collis, & herba fuit, canebat elegis verſibus Poeta nobilis, vt Romanæ rei amplitudinem extolleret mole iam tum laborantem ſua. Quã ab omni diuino, humanoque cultu vaſta, & ingenti ſolitudine deſerta], mera ſenticeta, malefici generis animantibus fæta loca hæc ipſa fuerant, vbi nunc hortus Dei concluſus, perpetua diuinæ lucis amœnitate lætus, cæleſtique ſpiritu frigeratus, omnibus virtutum laudibus effloreſcit. Sanguis ille Martyrum, fletus dolentis, vel ſudor laborantis Eccleſiæ, ſemen Chriſtianorum fuit, cuiusvis ſubacto reſtibilique animorum ſolo recepta, firmata ſenſim ſtirpe non degenerauit in fruticem, cultorum incuria, ſed in palmetum adeo procerum excreuit, vt eius vmbra, eiuſdemque arbuſta Cedros Dei feliciter operuerit. Extendit illa palmites ſuos vſque ad mare, & traduces eius ſylueſtribus oleaſtris inſerti, omni exuta morum feritate, nouellas etiamnum con-

ſti-

ſtituunt oliuarum in circuitu Menſæ Domini. Salomonem mortalium ſapientiſſimum accepimus, cum in ſolitudine ciuitatem exædificaſſet, à palmeto proximo Ciuitatem palmarum appellaſſe. quid ergo? ſi in hac deſerta ac prærupta ſuperſtitionis veteris vaſtitate, fundatæ Chriſti Reipublicæ nomen imponendum eſſet, num ab hedera ſapientum, an à propioribus Martyrum palmis, tanquam ab ipſis authoribus nuncupanda foret? Verum in hac molitione Regni, mira fuit, & inaudita eius progreſſio. Cæteri enim Ciuitatum inſtitutores, vt colonis, ac ciuibus vrbes ſuas explerent, finitimos ſæpe populos ſpe libertatis allicere, deterrimasquaſque popelli quiſquilias cogere, Prædones, graſſatoreſque ad aſylum inuitare conſueuerunt, eiſque ſine vllo delectu ornamenta dignitatis, authoritatis inſignia, prætextam, faſces, ſtipatores, exercitus ipſos deſtinare, atque vltro congerere. At hic illi ipſi Patres, ac molitores Imperij, veri ſalutis humanæ Conſules, è clariſſimo Chriſti genere in familiam Dei cooptati, tanquam viliſſima Mundi capita, & ex ergaſtulis empta mancipia, beſtiarij gladiatores effecti, modo populari tempeſtate iactati, modo repentina vi Tyrannorum perculſi, direptione, cæde, proſcriptione diſperſi, in ſqualore, ac ſordibus, in infamia, atque egeſtate, in fuga, ferro, ſanguineque verſati, fluctibus

bus communium malorum expulſi in rupes inuias, deſertaſque ſolitudines, vbi moriens natura defecerit, ibique pro ornamentis dignitatum, tormenta ſupplicio-rum, pro ſtipatoribus beſtias, ac ſolitudinem, pro infulis obductionem capitis pro laureatis faſcibus, expeditionem virgarum, & ſecurium experti. Singularis homo L. Brutus, quòd cum Tarquinio hoſte congreſſus interierit, naſcentis libertatis Romanæ ſpem, ac progreſſum pœne ſuo funere intercluſit, ne dum infinitus peremptorum Martyrum numerus officere videatur incremento Reipublicæ, atque hoc etiam magis quam ille, quòd Romani victoriam eo prælio conſequuti priuatæ calamitatis monumentum publica felicitate decorarunt. At hic ſingulorũ ſtrages cum execrabili totius noſtrę gentis odio, ita coniunctæ ſunt, vt ipſe Chriſtiani nominis odor, & ſuſpicionis vmbra funeſtare familias, euertere ciuitates, publicarum omnium miſeriarum incendium crederetur. Ac profectò niſi in huius Vrbis tanquam parentis optimæ ſinum intimum, ac viſcera confugiſſent, ibique atratam, & in mortuorum tumulis conſepultam ætatem ad incertam ſpem meliorum temporum reſeruaſſent, Chriſtiani generis ſtirps omnis, ac fama excindenda funditus videbatur. Sed quicquid inſanus Aegypti Pharao obſtetricibus imperet ſuper occidione naſcentium

He-

Hebræorum, ſemper Iſraelis familia amplificata ſuccreſcit numeroſa ſobole Poſterorum. Illo ſanguine quaſi cæleſti lauacro abluta ſuperſtitioſa Mundi religio facilius deinde Chriſtiana ſacra ſuſcepit. Nimirum quicquid amputes ex vite regerminat, quidquid reſeces ex aureo trunco, ſemper ſimili frondeſcet virga metallo. Latius exundat in anguſtias redactus amnis, & ſi quid in excitatum incendium congeras, materiam creſcendi ſuppeditas, iam enim non ad propulſandum cõmune periculum, ſed ad ſubeundam pro Chriſto certaminis tanti procellam confluebant non homines, ſed regiones ipſæ multo etiam latius excitatæ, quã noſtratis Orbis natura, ac termini poſtularent. Tenetis optimè, quid de Troiæ, ac Thebarum ædificatione teſtatum ſit literis Poetarum, cementa, ac rudera per agros diſſipata, atque diſperſa, ſubito arcana neſcio qua vi conſpirauiſſe, ſeque collocaſſe in mirificæ molis ædificium, nullo Architecto, nullo ſtructore, dum Amphion ad Thebas, ad Troiam Apollo citharæ neruos accurata modulatione quaterent. Non inconditè, ſed ad numerum, & noſtræ Vrbis ſtructura creſcebat, dum (dicam hoc paulò confidentius quando in Poetarum orationem incidi) Martyrum extentos artus, quaſi diuinæ citharæ neruos impia lictorum dextra percuteret. Spectatorum animi, verbe-

rum ictus non aurium oblectatione, ſed noui cuiuſdam ſpiritus iudicio æſtimãtes, mitigata ſenſim duritie, & mutua, ſibique ipſis ignota hactenus charitate coaleſcentes, viui lapides ædificationem Dei conſtruebant, quo maior eſt habenda Martyribus gratia, quòd publica commoda non altercatione verborum, ſed vitæ diſcrimine, & ſanguine tutati ſunt. Quid cum his ſapientium incommoda? pulchra nimirum nomina illa ſunt, fatigare Apollinem, Mineruam excitare, Muſas ſiſtere fugitiuas. O ludicras curarum vmbras, ó pictas laborum imagines. Dum tu miſer incluſus parietina, loculamenta diſponis, ſtylum acuis, caput ſcalpis, corrodis vnguem; magnanimus Chriſti bellator acerbiſſimis vigilijs nocte traducta iam properat in lanienam, paratos equuleos, ſtrictos hoſtium gladios videt, effuſoque ſanguine Chriſti cauſam impreſſam in animis, in ipſo etiam corpore exprimit numquam emorituro vulnerum charactere; non circumſcriptione, ſed contorſione membrorum, vitæ, non ſententiæ clauſulam terminat. Multa de Cadmi laboribus ſuper ædificatione Thebarum commendata monumentis fabularũ ſunt; quòd interimenda teterrima bellua fuerit quod ex eius interitu nouorum militum eductis gladijs ſeges armata prodierit, multum diſcriminis allatura Cadmo, niſi ſe ipſam ciuili Marte confeciſſet. Vana

hæc,

hæc, fateor, aut etiam ridicula, ſed accomodata ad rem noſtram, ſi probe ſingula committantur. Quantum laboris, ac diſcriminum fortiſſimis noſtris Ducibus eſanthlandum fuit, vt vaferrimus ille Chriſtiano generi ſemper infeſtus anguis rabida ingluuie, omnia iam pœne depaſcens extingueretur? tunc in ipſo ſuæ cladis exordio, quaſi è purulenta primorum vulnerum tabe, ferociſſima illa Imperatorum portenta ſcatere cæperunt, quorum crudelitate, nulla vnquam ærumnarum feracior Hydra fuit: non regno, ſed ſęuitiæ, non publicæ felicitati, ſed priuatę calamitati Chriſtianorum ſucceſſerunt ſibi Domitiani, Traiani, Adriani, Antonini, cæterique, quorum hoſtilis immanitas ſibi tandem onerofa ad perditiſſimum transfugam Iulianum tanquam ad malorum omnium Syrtem, ac ſcopulũ fregit ſua tempeſtate diſiecta, ſuo turbine naufragata. Sed video hic me veſtræ humanitatis aura propitia enauigaſſe ad alteram beneficiorum partem, qua propagato per Martyres imperio, ius Chriſtianæ libertatis vindicatum eſt. Quod ſanè quanti æſtimandum ſit, è notiſſima dubitatione Romanorum capere coniecturam licet. Diu enim, multumque apud eos dubitatum eſt, Conditori ne Vrbis Romulo, an authori libertatis Bruto potiores honorum partes deferendæ forent, cum vita, & vitæ libertas tanquã æquabili

bili trutina ſimili pondere dignitatis ſuſpenderent conſultantium opiniones. Nullus hic dubitandi locus relinquitur: qui communem hanc ſalutis Patriam ſuo ſanguine condiderunt, ijdem libertatis integræ aſſertores ſunt. Duo olim fortiſſimi Iuuenes, & patria Spartana digniſſimi cum libertatem ſuæ Ciuitatis à Rege Xerſe imminuendam ex Oraculi reſponſo cognouiſſent, vltro obuij iniuriæ facti Hoſtium Imperatorem adiere, rogaueruntque enixis precibus, vt Patriæ incolumitate ſeruata omnem vindictæ crudelitatem in ſuorum corporum perniciem deriuaret. Ardua fuit illa quidem, & abhorrens à cõmuni virtutis languore, magnanimitas, quæ per preces oblata ſanguinis effuſione, faces accenſas ad incendium ſuæ ciuitatis extinxit. Sed ſi cũ virtute Ducum noſtrorum compares, vides non fortiſſimos ſolum iuuenes, ſed imbelles, ac teneras Virgines, non militaribus Amazonum ſtudijs, ſed Romanarum vrbanitatum affluentijs enutritas, quotidie de capite, deque fortunis omnibus dimicare, non armis, ſed membris, ferendo non audendo, officijs non odijs, non vlciſcendi libidine, ſed moriendi voluntate. Habuerit licet commendationis plurimum apud Rhetores priſcos trunca, ac torrida Mutij Sceuolæ manus, quaſi præſtantius fuerit hoſtem amiſſa manu vincere, quam armata. Trunca illa, ac

lacera

lacera corpora Martyrum quo magis ae-
ciſa, luxataque ſunt, eò validius, & glo-
rioſius Chriſtianæ Reipublicæ cauſam de-
fenderunt. Quod ſane beneficium, vt fiat
apertius, reuocate vobis in memoriam,
quo in loco Chriſtiana libertas fuerit,
funeſtiſſima illa tempeſtate, cum non
agri vaſtati, non inflammata tecta ſolum,
non abactæ pecudum, hominumque
prædæ; ſed ipſa Pietas machinis ac tor-
mentis omnibus oppugnata. Cælo ipſo,
ac ſpiritu pelleretur, cum veritas è iudi-
cijs, fides è foro, ſanctitas è templis,
pudicitia è Gynecæis in huius Vrbis rui-
nas inſepultam viuentium ſepulturam,
truderetur, cum non modo rem diuinam
curare, Chriſtiana ſacra ſuſcipere, ſed nec
humi corpora condere, nec lacrimari
mortem animorum liceret, cum omnia
demum diuina, atque humana iura,
legeſque ſacratæ promiſcuo fedatæ flagi-
tio ad lucrum, prædamque libidinis
Imperatoriæ reſeruarentur; Et tamen è
tanta colluuione malorum, tantis è flu-
ctibus afflictæ Reipublicæ perturbata-
rumque temporum enauigatum eſt in
ſalutis conſpectum, portumque felicita-
tis. Quæ nam Deus immortalis, ea virtus,
quæ tantam ingruentium malorum pro-
cellam auertit! O vim Chriſtianæ patien-
tiæ præpotentem, quæ per obiecta di-
ſcrimina, obſtantemque naturam, per
inuſitata portenta ſuppliciorum, conti-
nuata

nuata fortiſſimorum hominum ſerie, quaſi cuneo facto, hoſtium interiora perfringés ad feliciſſima Conſtantini tempora, ad ipſam arcem, perfugiumque ſalutis per, rexit, & in ipſis Imperatorum ſedibus, direptis inimicorum caſtris vexilla Chriſti Victoris erexit. Iam hiſce pro meritis quid præſtabilius, quid Chriſtianæ rei fructuoſius excogitabitis ſapientiſſimi Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini? Dum vos remôti à turbis, legibus, atque edictis cauetis ne quid Reſpublica detri, menti patiatur: hi Remp: ſaluam ex ani, mo volentes Chriſti ſignum ſequuti, quo, tidiano diſcrimine perpetuam nobis ſe, curitatem attulerunt. Si igitur, & quod viuimus, & quod liberè, ac beatè viui, mus Martyrum beneficium eſt, qui rogo relinquitur gratiæ ſapientium locus? Inſti, tuta Ciuitas, fundata libertas eſt, quid iam magnópere reſtet, in quo prodeſſe publicæ vtilitati poſſint? Docebunt for, taſſe quo pacto bonorum omnium aucto, rem Deum conſequi intelligendo poſſi, mus? at hi amando complexi ſunt. *La*, tentes naturæ cauſas inueſtigabunt, at *hi* ſempiternæ cognitione cauſe omnia compendio tenuerunt. Cæleſtium *ſtellas* Orbium enumerabunt? at hi noua addi, dere orbibus ſydera, nouoque luminum ſplendore interioris Cæli galaxiam fre, quentarunt. Iter ad ſuperos incultum, ac pene interclusum quaſi digito monſtra,
bunt?

bunt? at hi ſuis veſtigijs calcauerunt, frigeſcentes animos ad ſtudia pietatis hortabuntur? at hi coegerunt exemplis. Denique nihil præclari, nihil ſalutaris in illis reperies, quod non hi excellentiori quadam vtilitate præſtiterint, neque vnquam abiudicari poſſe Martyribus videtur hæc palma, niſi cum intelligentiam voluntati, amori cognitionem, monitores Ducibus, dicta factis potiora eſſe cenſebimus.

Hæc ſane ſunt quæ ex ingenti, immenſoque campo meritorum potui in exiguũ temporis huius gyrum compellere. Vos ex his quæ ſummatim expoſita ſunt, tanquam è quibuſdam veſtigijs beneficiorũ magnitudinem aſſequimini. Iam diu enim orationem meam ad ſe rapit ſapientium cauſa, qui eò me impellunt facilius, quo propius ad Martyrum felicitatem votis animorum accedunt ipſi, & ea, quæ dicta ſunt meminere ſcilicet, & prædicant, imo ſi alterutrius optio illis detur, excuſſa de capite doctrinæ laurea, manum ad Martyrij palmam libentiſſimè admouebunt. Sed quoniam non ex animi cuiuſque ſententia rerum humanarum fluit euentus, noſque hic non de præſtantia, ſed de vtilitate diſſerimus, latiſſima & nobis aperiuntur ſpatia meritorum, in quibus ſapientium induſtria deludauit. Neque enim vna tantum gratia parantur beneficia: varia ſunt pro calamitatum varietate ſubſidia, variæque medicinæ, vt morbo-

rum genera ſunt. Diſcolori veſte ſponſa cæleſtis induitur, & dum peregre hic agit in terris, certum habet ætatis ſuæ curriculum. Fuerit ille Martyrum feruor, atque alacritas, adoleſcentis Eccleſiæ robur ſtudio rei militaris aptiſſimum, at ingraueſcens Poſterorum ætas tranquillæ togæ negotia adminiſtret. Cum nauis è portu ſoluerit, contentione remorum indiget, ſed altius prouecta, peritia ſtellarum regitur. Vt dimicatio, ac pugna præſtet tibi Victoriam, num propterea contemnes excubias? Iacta ſint molis eximiæ fundamenta, nonne ex vſu, ac dignitate faſtigium dirigendum eſt? laboribus partum eſt ampliſſimi patrimonij caput, nunc ſupputationum libri, & liberti à rationibus neceſſarij ſunt. Ceruam transfixam iaculo ad aquas properare nouimus, quem candidiorem petere poterat, quam ſapientiæ fontem Eccleſia, poſt quam in Martyribus vehementiori amoris iaculo tacta fuit è cælo. Fortes ambiant lectulum Salomonis, ſed ad ſacrorum menſam, diuinarum etiam laudū cytharæ perſtrepant. Neque tantummodo caſtra bellantium in ſunamite videbis, ſed choros etiam audies concinentium. Demum ſi illi fortiores Romuli imperiū moliti ſunt, hi ſapientiores Numæ iura & iudicia compararunt, illi ſi fortitudine libertatem aduerſus externos Tyrannorū incurſus defenderunt; hi clandeſtinas he-

ieticorum inſidias prudentia declinarũt. Hæc duo, iura mortalibus condere, proditorum inſidias detegere, furoremque comprimere, magna hæc diuina beneficia ſunt, Auditores & quæ à ſapientibus viris præſtita cum Martyrum promeritis fortaſſe conferri poſſunt. Fac enim Martyrum ſanguis ſtirpis noſtræ ſemen ſit, quo ſata, & irrigata pariter Chriſtianorum ſeges excreſcat: fac ſummo labore, ac diſcrimine deliciarum hortos Chriſto conſeuerint, at niſi cultorum induſtria quotidie inſudet in opere, niſi plantarum ſobolem naſcentem circummuniat, adoleſcentem aggeret, luxuriantem confracto cacumine flagellorum attondeat, matureſcentem præciſis ramis interlucet, aridam, & vitio inquinatam delibret, mox niſi cylindro complanet areas, riuales puluinos per interualla conſpergat, arborum interordinia per decuſſim & quincumcem inſtituat, niſi pedamentis ambulationes ſuffulciat, & camerario fruticum opere conueſtitas opacet: niſi denique ætatem omnem in laboribus conterat, nullamque partem capiat quietis: Silueſcet profecto amœnum illud Chriſti pomarium, hortuſque Dei concluſus dumetum vepribus obſitum euadet. Fuit igitur Martyrum inſerendo labor ſummus, ſed ſapientium in colẽdo ſollicitudo diuturnior. Atque vt Matres ſummis in doloribus pariunt, ſed nutrices in alendo

puero materni cruciatus acerbitatem moleſtiarum diuturnitate compenſant; ita parturijt in illo angore, in illa ſanguinea dimicatione, luctuque filios ſuos Eccleſia, qui nunc ſedula ſapientum opera in perfectum virum aluntur. Cur enim toties conuocata ſanctiſſimorum hominũ concilia, coactæ ſynodi, celebrata comitia ſapientum, niſi vt in ijs ſacrarum legũ inuolucra, atque integumenta perſpicerentur, ambigua diſtinguendo, latentia definiendo, obſcura interpretando virtutes in certas officiorum partes diſtribuẽdo, quibus ad extremum relinquerentur poſteris, optimæ morum inſtitutiones, leges Prudentiæ, hortamenta probitatis, decreta ſanctiſſimæ diſciplinæ. Quæ quãti à nobis facienda ſint, ſuperſtitioſa antiquorum religio declarauit. Cum enim veteres non tam generis æternitate, quam publicæ rei commodis diuinitatem metirentur, eos, qui moribus, inſtitutiſque ciuitates ſuas conſtituiſſent, Deorum immortalium ſtirpe, congreſſu, familiaritate digniſſimos cenſuerunt. Hinc Minoẽ Cretenſes Iouis filium, Trimegiſtum Aegyptij Mercurij genus, Lycurgum ſtirpem Apollinis Lacædemonis, Solonem ex Minerua natum Athenienſes impuriſſimum hominem, & honorum omnium dehoneſtamentum fœdiſſimum Mahometem Gabrielis Arcangeli familiarem intimum barbari eius aſſeclæ voluerunt,

Nouerant tantum vtilitatis ex hac inſti-tutione morum in commune bonum deferri, vt non niſi ex diuina aliqua virtute prouenire poſſe videretur. Sanè cum de Solone ac Themiſtocle apud Athenienſes quæreretur, vtri plus deberet Reſpublica cum alter foris hoſtes expugnaſſet, alter domeſticam bene viuendi rationem docuiſſet: potior habita Solonis inſtitutio, quam Themiſtoclis Victoria fuit, hæc enim ſemel profuit, illa ſemper. Quæ ſi ad rem noſtram detorqueas ſapiẽtum præcepta ante Martyrum facta hoc nomine fortaſſe pones, cum præſertim illi momento ærumnis omnibus ſe expedierint, hi omni ætate in publicis vtilitatibus non ſine ſummo labore deſudent. At nihil profecto agere, imo vero & dormitare videbuntur ſapientes neſcio cui rem æſtimanti præcipiti iudicio, quod domi ſedeant feriati, nouum in dies excogitent in otio ludum, &, ſi Deo placet, in puluere pingant, dum Syracuſæ capiuntur. Nihil igitur in humano corpore rationem valere dices? quòd non cæterorum membrorum munera exequatur? Nihil in Naui Gubernator, in Republica Patrum Senatus agent? Mutus ſedet cum ſymphoniacis moderator cantuum, ſed dum certis dimenſionibus numeroſa temporum momenta diſtribuit, mobili illo Muſicæ rationis præſcripto vniuersũ concentum attemperat. Stolidam ac pe-

ne mortuam neſcio quis tellurem dixerit præ ceteris elementis, quod dum alia volubili viciſſitudinum variata decurſu mouentur, vna immobilis obſtupeſcat, & quaſi dormitet, ad mobiles cæleſtium Syrenum concentus, inſtitutamque à Cælo Mundi choream non ſequatur: cum tamen in hac rerum vniuerſitate, nihil tellure feracius, vberiuſque reperias. Verum in tanta publicæ vtilitatis vbertate, non ita languida ac pacata ſapientia eſt, vt non etiam cum opus ſit, arma ſumat, caſtra commoueat domeſtici tumultus aleam ſubeat. Vix fundata Chriſti Reſpublica Martyrum ſanguine fuerat, cum occultis hæreticorum inſidijs circumueniri cæpit, quæ ſanè bellandi ratio eò periculoſior, ac pernicioſior eſt, quò in ſpeciem videtur lenior, blandiorque: facile enim aduerſarium euitabis, qui te legitimo nexu deijcere velit, at ſi per argutias ſupplantare tentet, ſuſpicaci oculo, pede celeri opus eſt, vt artem eludas. Aperto quidem Marte facile fregerit Alexandri potentiam Menelaus, at clam emiſſum Pandari telum ſubterfugere nequijt. Quam multos vidimus fortiſſimos populos in aperta hoſtium aggreſſione conſtantes, occultis ciuium diſſidijs corruiſſe? Quid Romanæ libertatis caſum, quid tot nationum hoc fato functarum calamitatem deplorem: cum ipſa Cæli Reſpublica tantis naturæ, ac loci

mu-

munita præſidijs nullo conſilio, nulla ope quati potuerit niſi cum ſupernæ militiæ princeps Lucifer inteſtina ſeceſſione coniurationem nobilitatis fecit. Nimirum ſi externa concuſſione membrorum tenearis in morbo, non fuerit operoſa curatio, ſed ſi per venas ipſas malum, atque oſſa deſæuiat, vix reperies, qui medicam manum adhibeat quo longe illuſtrius videtur eſſe ſapientum in Patriam beneficium, quo difficilior fuit ſuſcepta defenſio. Solent in oleribus, alijſque ſatiuis herbis hortenſibus præſertim, & acetarijs, minutæ quædam beſtiolæ, quales infraxino Cantharides, in cocco blattæ, in ligno tineæ adnaſcuntur, clam, & quaſi ex inſidijs pari cum illis colore ſuccreſcere, quas vix diſtinguas obtutu, & niſi quam primum remoueas, irrita ſpe frugũ blandiaris tibi. Ita ſe res habet Auditores vix primas agebat radices, & in lucem educebatur Chriſtiana Pietas, en tibi pari fœtu Simonis, ac Menandri ſubrepebat impietas. Hinc Saturnini, Cherintij, Ebriones, Valentini, Valeriani, aliaque infinita, memoratu indigniſſima nomina: quæ ſi recenſere velim, ne dum execrari, ac deteſtari, ipſa me vox ipſæ me aures veſtræ deficerent. Vna illa tempeſtas, ac procella Germaniæ Lutherus, quem quaſi compendium, ac ſentinam malorũ omnium in poſtremam temporum fæcem natura proiecit, (niſi tamen maius ali-

quod monſtrum parturit, Affrica illa ſemper aliquid noui afferens, dominatus amplificandi libido) . Vnus, inquam ille lingua, ac moribus inquinatus in rationem omnem, in naturam ipſam iniurioſus quantam cladem in Chriſtianum genus inuexit? cum impuriſſima haſta poſita in Germaniæ finibus, cum improbitatis ſuæ adminiſtris egeſtate, ac ſcelere perditis omnem Pontificis authoritatem, omnem honeſtatem officiorum flagitioſiſſimis nundinis venderet maiorem ſceleribus voluptatem licitanti. Ex vltima hac flamma quaſſatæ Reipublicæ facere poſſumus coniecturam, quæ nam incendia excitauerint ſuperioribus tẽporibus impuriſſimæ priſcarum hæreſum faces. Nunquam Diocletiani, aut Nerones tantum ærumnarum Chriſtiano nomini exoptaſſent, quantum hæ domeſticæ furiæ præſtiterunt. O priſcis illis temporibus longè miſeriora tempora, quibus non Tyrannorum vi membra luxantur, trucidantur corpora: ſed viliſſimorum capitum ſuaſione, auguſtiſſima nominis Chriſtiani Maieſtas, Relligioſiſſima in Numen diuinum pietas expulſa, atque exterminata è ſuis ſedibus, conculcanda libidini datur. Non neceſſe habeo vetera Reipublicæ vulnera, ruinaſque repetere, partim ne obductas cicatrices refricare videar, partim quòd ſapientum beneficio captæ ſunt ſuis pedicis vaferrimæ illæ vulpeculæ.

læ, quæ tam fœdè vineam Domini demoliebantur. Quòd ſanè beneficium, quia breuiter, curſimque dicitur, non eam dignitatis ſpeciem præſefert cuius neruos, & ſuccos habet. Sed ſi contempleris animo ciuitatem nullis deuinctam legibus, nullis obſtrictam iudicijs, auſpicijs, ceremonijs, cenſorum capitum deſcriptione, conſilio, Magiſtratibus ipſis carentem; ſi eandem varia ſeditioſorum ciuium factione diſtractam, nihil ſacri, nihil ſancti, nihil arcani prorſus habentem, cum in ea non ſolùm lapidationes, & gladij, aut exeructi acerui cadauerum, vſitata illa ciuilis diſſidij monimenta, ſed erepta è delubris religioſiſſima ſigna, trūcata Cælitum ſimulacra, ſepulchra mortuorum exuſta, viros cæſos, Matronas, Virgines, publica ac priuata omnia polluta, atque imminuta, animos etiam in virtutum omnium funere, & caſu Pietatis, ruinaque ſepultos; Ipſum Deum poſita perſona dignitatis commorantem nobiſcum è recondito altarium adyto, & ex ipſo Charitatis Auguſtali, candida nitentem chlamidula, per vim ereptum, & fędiſſimorum latronum pedibus conculcatum. Hæc ſi dictu fæda ſunt, ſi auditu aſpera: quotidie tamen verſata eſſent ob oculos, niſi inſignes pietate viri in furioſos impetus pręcipitatę Hæreticorum licentiæ armatum ſapientia pectus oppoſuiſſent. Iam verò ſi hoc oſtentui fictum

creditur, ſi moderari Ciuitates, ſedare tumultus, nullo in loco beneficij ponitur, ſi tela iugulis ciuium intenta extorquere de coniuratorum manibus, nihil eſt: Si otioſa dormitare ſapientia creditur quod pedem foras non efferat, ſi placere ſuis ciuibus domi nequit: eſt illi, eſt ingens animus, tantaque ducitur charitate Patriæ, vt peregrinari procul ab domo, exulare pro Patria non recuſet. Iam toga poſita ſagum induit, iam armata fulminibus eloquentiæ; remotiſſimas Mundi plagas peragrata, magnam Cæleſtis Imperij partem ab impuriſſimis latronibus per vim occupatam, diuinæ ditioni teſtis fuit. Quantum inualuerant antiquitus in Dei Regnum audaciſſima Dæmonum latrocinia, vt in ipſam Diuinitatis arcem impreſſione facta corruerent! Suprema illa Diuinitatis maieſtas, quæ nullo facto naturæ ſuæ diuortio aptiſſima ex ſe ſe in hac vaſtiſſima Mundi Republica, nemini vnquam rerum moderandarum gubernacula tractanda commiſerat, ab inſano Mortalium genere in varias Deorum appellationes diſſeminata, atque diuulſa quaſi per vim deceſſiſſet è Magiſtratu Mundi, priuato veluti iure contenta, latere ingloria videbatur: cum interim turpium Deorum viliſſima quæque capita Mundi totius dominatum ſibi depoſcerent, & variorum Elementorum, corporumque, tanquam variarum prouinciarũ

Imperium, & dominationem occuparēt. Hinc Ioui homini ſordidiſſimo vniuerſa Cæli commiſſa fuit Reſpublica: Ignis Vulcano mandatus, aeris ſpirabile regnū Iunoni traditum, Neptuno pelagus, Plutoni fœdiſſima mundi ſentina concredita. Hinc ipſa etiam tempora, quæ ſancitis à ſole legibus Rempublicam ſublunarem moderantur, ac temperant, in Deorum inanium ceſſerant ditionem, dum vernæ tempeſtatis Cloris, Baccus hyemis,] Aeſtatis Geres, Pomona Autumni procurationem ſuſceperunt. Quin etiam pede collato propius ſuperſtitio temulēta in interiora Diuini Regni prædabunda ſe contulit, dum ſapientiam Palladi; Marti fortitudinem, pulcritudinem Veneri, Iuſtitiam Nemeſi adiudicauit. Hos, alioſque (pudet enim plura perſequi) impuriſſimos diuinæ hæreditatis poſſeſsores, moriendo ne tantummodo martyres, an docendo etiam ſapientes, & quidem potiſſimum de iniuſta poſſeſſione deiecerunt? dum extorres, ac vagi terras infinito penè locorum, ac naturæ interuallo diſſitos vna Religionis, ac pietatis communione iunxerunt. Scimus eam olim fuiſſe conditionem Heroum, vt per varias terrarum partes diſſeminati creſcentia paſſim publica mundi mala comprimerent. Nota Iaſonis exilia, Theſei Minotaurus, Herculis monſtra, ſed pleraque è fabulis nota ſunt. At vero extra ſcænam ac lo-

eum, quantum itineris, quantum laboris ſuſceperunt Chriſtiani Oratores, dum non modo nefaria illa Dæmonum ſacra, rituſque ſacrilegos euerterent, ſed impuriſſima genera morum, & portenta conſuetudinum ac legum abolerent, quas ſapientiſsimi veteres conſtituerunt. An non Dracolanienam ciuium in foro conſtituit! Foronei legibus latrocinia admiſſa ſunt, Licurgus homicidia, amores indigniſſimos Plato, Numa vim in aliena regna permiſit, Deſidia Tracibus, laudabilis, Lydiarum Virginum bona dotalia, flagitiorum mercedes erat. De Perſarum nuptijs, de Cypriorum amoribus neſcire præſtiterit, tacere ſaltem neceſsarium eſt. Senes ſuos Caſpij lacerandos canibus tradunt, Hircani præcipitant ex altiſſimis turribus. Hebræorum neſcio quæ Cabala receptaculum anilium fabularum eſt. Ipſæ leges Imperatoriæ ſacroſanctæ, vt obſcure ferunt vſuras, vt quæſtus impuros diſſimulant? Indorum inſaniæ, Bracmanorum feritates cognitæ nuper multæ, ſed cognoſcendæ adhuc quam plurimæ, egerente quotidie cum nouis terris noua etiam relligionum portenta nunquam effœto Naturæ veluti puerperio. Sed quantum terrarum aperit inter aquas Oceanus, quantum Hiſpanæ felicitati nautarum venatur induſtria, tantum Romani Pontifices authoritati adiungit magnanimitas ſapientum. Nullæ ſunt

tam-

tam feræ Nationes ac Barbarę, ſiue tu mores, ſiue Religionem ſpectes, quas ſub Domini iugum ſenſim miſsas in Chriſtianę prouincię formam non redigat ſapientia, eò etiam felicior, atque commodior, quod ipſa vna hoc tempore adytum apud barbaros ad Martyrij palmam aperiat. Quam multi, dum populos Chriſtianis imbuunt ſacris, inſtruuntque rerū cognitione diuinarum, fuſo pro Chriſti nomine poſt lacrymas etiam ſanguine in Cęlum ſibi reditum feſtinarunt? Quamquam horum nonnullos dum cōtemplor mortem quandoque ſubterfugere, ne præcepti ſubita vi, culturam deſerant animorum, ſatis intelligo cęleſti huic diſciplinę martyrum gloriam, poſthaberi Quę cum ita ſint, temperare mihi non poſsum in hac extrema oratione mea, quin ad ipſam ſapientiam conuerſus exclamem. Tibi quod certis inſtitutis viuimus, quod impoſterum vaferrimas artes eludimus tibi vni debemus. Tu cōmunis illa Relligionis patrona, virtutum auriga, gubernaculum rationis, anima ciuitatū, pompa Chriſtianę dignitatis, noua Martyrij parens. Per te hominum conſtituta iura, reſtituta ſacra Cęleſtium, authoratę hominum, ſuperumque Imperatori Deo Prouincię, ac regiones; deductę nouos in Orbes terrarum Colonię pietatis, omnique Chriſtianę libertatis iure donatę. Tu è remotiſſimis Mundi regionibus floren-

rentiſſimam hanc iuuentutem euocaſti, vt vitam ad humanitatem excoleres, & indolem informares ad gloriam. Vides hic paratos animos, & ſpes alacres è carceribus iam nunc ſigno dato annua tuorum laborum ſpatia felici æmulatione repetere. Oſtenta premium te dignum è meta, quo properantia hęc iuuenum vota quotidie magis incitentur ad curſũ. Ego ſane in hoc decurſu orationis meę, ſita tua vi, ſtimuloque permoueor, vt ſatis animaduertam ad tuam cauſam animum plus quam deceat deflecti meum. Sentio facile; ne quod iudicium afferam corrupti iudicis, accipiendum mihi iudicium eſse, non reddendum. Gaudeo igitur ad vos, Sapientiſſimi Auditores controuerſiam recta deferri, quam ego ſubita perturbatione commotus diiudicare non poſſim. Penditote iam meritorũ momenta, & calculis principatum deferte victoribus, Martyrum quidem cauſa ſe ipſa tutatur: Sapientum à me vobis non commendabitur. Scio vos vel pro ſapientia, vel certè non ſine ſapientia iudicaturos.

DIXI.

INDEX

Rerum memorabilium.

A

AGentia præſtãtiſſima celerrime agũt. 193
Alacritas Peruſinorum in obeunda morte pro Christo. 292
Alexandri excellentia. 289
Amor cur ſophiſta dictus. 170
leges fert in Pentecoſte. 280. 282
eius fabulam Socrates narrat velatus. 139
Apellis ſimulacrum quale. 307
Armati hominis ſaltatio pugna & triumphus. 112
Ariſtoteles nihil ſcripſit, quia omnia obſcure. 142
Athenienſium Iuuenum inſana ebrietas. 154
Athenienſium apud Romanos querela. 312

B

BEllatorum nomina per litteras viuere. 339
Bellum non ſine comite ſapiente gerendum. 333
Britannia ſchiſma. 76. & ſeq.

C

CAdmi bellatores. 29
S. Cæcilia Virg. diuitiarũ cõtẽptus. 232
Caluinus chriſma ſpernit. 25
Caroloſtadius primus in noſtro ſæculo Euchariſtiam negat. 35

Mul-

multorum malorum cauſa. 36

diaconus vxorem ducit. 35

Caſtius Peruſinus Ciuis vrbem euertit. 299

S. Catarina Senenſis præſentit Ethnicorum cũ Eccleſia reconciliationem. 243

Chriſtus in horto ſanguinem fundit. 272 *capitur.* 273. *depalmatur.* 274. *velatis oculis percutitur.* 275. *in caluaria monte crucifigitur.* 277.

Chriſtus cor Eccleſiæ. 222. *parabolas explicat.* 178. *comparatur Tigridi flunio.* 223. *Euphrati* 225. *Nilo.* 227. *Gãgi* 230. *Olympo* 219.

Chriſti vita ſilentium docet. 163

Chriſtianorum ſacra, ſacris hebræorum potiora. 169

Cicadæ dum rore complentur tacent. 105

Cleuij Principis impatientia in morbo à Greg. XIII. placatur. 250

Cœli ſilentium docent. 123

Cœlo tonante Romanis dare leges vetitũ. 281

Comparatio Peruſiæ cum Templo Herculis & muſarum. 342. *Eccleſiæ cum Thebis.* 355. *Orationis cum arbore.* 111.

Confeſsio Catholicorum contemnitur a Melanctone. 50

Confeſsioniſtæ hæretici. ibid. docent omnes actiones humanas eſſe peccata. 59

Conſtantia per ſaltum expreſſa. 112

Conſtitutio Reip. ſimilis menti. 294

Contraria ex contrarijs natura producit. 125

Cor ſplendidum. 222

D

DEſcriptio Africanæ ſtupiditatis & leuitatis. 253. *Armati hominis ſaltantis.* 112.

112.*Bellorum puerilium*. 328. *compti iuuenis*. 336. *Immodeſtorum hominum*. 115. *Indicorum populorum ſaltantium*. 118. *Inconſtantiæ*. 113. *Legionis hæreticorũ*. 55. *& ſeq.Lutheri*. 3. *Martialis indolis*. 326. *Matronæ immodeſtorum petulantiã coercentis*. 115. *Melanctonis*. 49 *Montis gemmei*. 231. *Paradiſi terreſtris*. 217. *Peruſini ſitus*. 290 *Superbiæ*. 78. *Vicleffi hæretici*. 53 *Virginis ingenuæ ſaltantis*. 114.

Dij veteres varias rerum notiones indigitant. 338

Diuitiarum contemptus. 232

E

EBrietas Athenienſium iuuenum. 154

Eccleſiam qualem dicat Kemnitius. 59

Eliſabethæ Angliæ Reginæ ſcelera. 79. *& ſeq. diem ſuum natalem inter ſacros numerat*. 80. *B. Virg. natalem diem è ſacris expungit*. *ibid. Se tanquam Eccleſiæ caput venditat*. 81. *In epitaphio ſuo Virginem ſe teſtatur*. 82 *Eius auaritia & crudelitas* 82. *libido*. 83. *Nuptias reſpuit vt ſola regnet*. 88. *gloriatur de iuſtitia & prudentia*. 89. *cogit ciues ad ridiculum iuſiurandum*. *ibid. humanarum, & diuinarum rerum moderatrix vult nominari*. 90. *vtitur peſſimis conſiliarijs*. 90 *Comparatur Carybdi, Scillæ & ſtatuæ Babilonicæ*. 92

Eloquentia comparatur coquinariæ. 103

Potior laconica breuitate. 189

Ea ſine ſapientia inſulſa eſt. 103

Eius

eius miracula à 190
Eloquentiores etiam humaniores ſunt. 173
Euphrates. 224

F

FLumina quatuor Paradiſi terreſtris. 223

G

GAnges fluuius. 229
Gnei lentuli taciturni viri lepidum exemplum. 174
Corgia leontini in dicendo promptitudo. 170
Greg. XIII. electus in arbitrum à Moſchorũ duce. 252. Summorum Principum virtutes aſſecutus. 265. moritur menſe Aprilis. 267 eius liberalitas. 238. 245. eius origo a prima Saxonum nobilitate. 248. Kalendarij reformatio. 263. Facilitas in duces lithuanos. 251. In Principe Cleuio placando. 250. vltimum in morte effatum. 269

H

HAereſis morbus, & eius medicina Eccleſia. 24
Hæreſis è draconis ſtygij ſemine nata. 29
Hæretici plagoſis & languentibus comparati. 55. incidunt in errores quia ſuperbi. 58. turbas, ac bella concitant. 61. vtuntur oleo ad omnes morbos. 65 & ſeq. Vnctionis extremæ ſacramentum vtile negant animabus. 67 & ſeq.
Hæreticorum errores plurimi refelluntur. 59. Antidota fatentes. 69. & ſeq. promiſcua connubia. 75. matrimonium. 96. peregrinationes ad baptiſmum. 16. ad confirmationis ſacramentum. 22 furia. 364. impietas

& per.

& perfidia.29. balbuties. 40. iniuſtitia & audacia. 30. ignorantia.32. arma ad pugnandum.31. Vnctura & libri.33. diſputationes.33. latibula. 38. cum ranis comparatio. 40

Hæreticos inter confuſio. 28

Hæreticarum fœminarũ luxuries.64. & ſeq.

Homines hebetes cor habent durès nodis conſtrictum. 285

Huſſitæ comparantur canibus qui carent dentibus. 62

I

IDola Chriſto naſcente obmuteſcunt. 171

Idololatræ Pontifices per ſortes futura diuinant mala. 257

Ignis præfertur imperatoribus inaugurandis. 284

Indiarum populi ſaltatione varia, varias maiorum exprimunt virtutes. 118

Inſtitutionis morum dignitas & efficacia. 364

Iris herba eloquentiæ conciliatrix. 204

Iudas amoris armis vtitur ad furorem. 273

K

KEmnitius quid de Eccleſia ſenſerit. 59

L

LEgatio Indorum ad Antoninũ Piũ. 241. à Taprobrana inſula ad Claudiam Imp. ibid.

Liberalitas Greg. XIII. 238

Libido Eliſabethæ Angliæ Reginæ. 83. & ſeq.

Lunæ effigies hilaris aliis, aliis triſtis. 256

Lutherus Theologiæ aſpernator. 2, in eundem-

iur.

Turgia. 3. eiuſdem deſcriptio. ibid. Turcas beatos prædicat 6. Euangelia ad legem Epicuream & Cinicam reducit. ibid. A qua aui è ſacrificio miſſæ reijcit. 7. de Iuriſtis, Canoniſtis, Caſiſtis quid ſenſerit. 19. quid de Baptiſmo. 10. Quæ eius mater. 21. Quæ eius hæreſis. 247

M

Artinus Lutherus. vide Lutherus.
Marius Iugurtham fraude vincit. 109
Matrona immodeſtos coercens homines. 115
Matrimonium hæreticorum. 49
Melancton deſcribitur. 49. eius inconſtantia. 50. author Hæreticorum confeſsioniſtarũ. ibid. docet Deum authorem eſſe peccati. 51. confeſſionis ſacramentum irridet. 50
Mercurius cur alipes. 193
Metellus Africanis impar fraudibus. 109
Mexicani gladios ornatiſſimos habent, ſed ligneos. 50
Minerua aſsidet noctua. 139. Solum in panathenaicis velata reſpondebat. 250
Modeſtia per Virginis ſaltationem expreſſa. 112
Mons gemmeus. 23
Morbus tragicus quomodo quoſdam afflauerit. 144
Mores immodeſtia. 115
Mores Inconſtantia. 113
Moſchorum dux in arbitrium ſibi eligit Gregorium XIII. 252
Mulierum fæcunditas apud nilum. 227

Mun-

Mundi anguli verſutis hominibus pleni. 116
Mundum ex atomis componit Viclefius. 55
Myſterium Incarnationis hortus dicitur à S.Th. 216

N

Natura ex contrarijs contraria produ-cit. 125
Natura tempus diuturnum impendit in partubus nobilioribus. 124
Neronis vxor in Thermis lacte candorem auget. 268
Nilus fluuius. 226
Noctua Mineruæ aſſidet. 139

O

Oleam colebant Romani. 26
Oleaſtrum Elei colebant in Græcia, ib.
Oleum ad omnes morbos adhibent hæretici. 65
Oracula breuia, quia fraudulenta dabant reſponſa. 191
Oratio bellatorum aduerſus ſapientes. 318
Oratio comparata cum arbore. 121

P

Pan Satyriſcus cauea incluſus mittitur ad Conſtantium Cæſarem. 241
Paradiſus terreſtris deſcribitur. 217
Peruani montes. 229
Peruſiæ habita Vaticana comitia. 295
Peruſini ſitus deſcriptio. 290
Peruſini magnificè operari, non de ſe dicere maluerunt. 287
eorum origo. 290
plures vrbes in concordiam reduxerũt. 296
Con-

conſtanter Caſilinum defendunt. 321
Philippi *Macedonis dictum.* 266
Philoſophi *ſileant tanquam fabulæ ſpectatores.* 143
Pilati *pietas crudelis.* 275
Plato *qua ratione homines ab animantibus diſcernat.* 117
pueros arcet à ſpectaculis. 186
Porus Rex *ab Auguſto amicitiā poſtulat.* 241
Prophetæ *in Dei congreſſu elingues facti.* 159
Pſittacorum *copia Romæ perſtringitur.* 130
eorumdem fabella. 133
Pueri *ad recte loquendum inſtruendi.* 180
tacendi artem edocendi. 103
in tacendis arcanis impatientes. 107
in infantia prudentiores, maturiores hebeſcunt. 182
eorum integritas curanda. 183
Puerilis *belli deſcriptio.* 328
Pugna *ſaltu expreſſa.* 112
Pythagorica *Philoſophia in numeris ſita.* 196

R

ROmani *oleam colunt.* 26
Victos Reges in triumphū ducunt. 242
Legatos in Aſiam ad mores explorandos mittunt. 245
A Peruſinis pacem exorant. 302
Romani *Imperatores teſſeras in largitionibus ſpargunt.* 245
Romani *Collegij deſcriptio.* 259

S

SAcra *Chriſtianorum ſacris hebraeorum potiora.* 143

Sa-

Sacramentum eſt ſacrum occultum. 100
Sapientia occultanda an euulganda. 102
Sapientes bellatoribus præponendi. 319
Schiſma Britanniæ. 76
Scitharum mos in Principum ſuorum obitu. 268
Senes à quibus male habiti. 372
Sibillis prophetia præmium virginitatis. 73
Silentium apud Hebræos quid. 173
ad ſapientiam comparandam vtile. 103
debet præcedere eloquentiam. 128
in templo Salomonis. ibid.
cæli illud docent. 223
Silentiarij prope Idololatræ. 170
Silenus Alcibiadis intus ſolum ſpectabilis. 39
Sinenſium oratio obſcuriſſima. 140
Socrates amoris fabulam narrat velatus. 139
Solis imaginem exprimi vetant Ægyptij. 238
Spectacula mimorum pueris raro exhibenda. 184
Speculum Eliſabetha Angliæ Reginæ. 86
Spinea Christi corona quid ſacerdotibus pu-rauerit. 277
Superbia hæreſum mater. 58
Superbiæ deſcriptio. 78
Superſtitiones aliquorum. 371

T

TEmpus diuturnum in partubus nobilioribus impendit natura. 114
Theodori Bezæ mollities. 62
eiuſdem morbus gallicus. 63
Theologia non euulganda. 147
Tiberij Cæſaris verbiloquentia Reip. noxia. 177

Tri-

Tribunal in cauſis grauioribus velatum. 158

V

Velum Templi cur ſciſſum in Chriſti morte. 169
Viclefus haereticus lupo & vrſo comparatus. 53
quid ſenſerit de Euchariſtia. 55
componit mundum ex atomis. ibid.
Virginis mores & ſaltatio. 114
Virtus, & fortuna Romam amplificant. 316

Z

Zvinglij mors. 6[illegible]

LAVS DEO.

6703